PROLEGOMENA IN CIRIN.

DISSERTATIO LITTERARIA

EXHIBENS

PROLEGOMENA IN CIRIN,

QUAM

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

D^r. S. TALMA,

in facult. med. professoris,

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU

ET

NOBILISSIMAE FACULTATIS

PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITTERARUM HUMANIORUM

DECRETO,

PRO GRADU DOCTORATUS

SUMMISQUE IN LITTERARUM CLASSICARUM DISCIPLINA

HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

IN ACADEMIA RHENO-TRAIECTINA

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

ERUDITORUM EXAMINI SUBMITTET

MARIUS KREUNEN,

DOTECOMIENSIS,

Ad diem XXIV M. Aprilis A. MDCCCLXXXII, hora I.

DOTECOMIAE,

APUD G. J. RAADGEEP,

MDCCCLXXXII.

PATRI OPTIMO

NEC NON

Matris Carissimae Piae Memoriae.

PRAEFATIO.

Circumspicienti mihi argumentum quodpiam, quod studiorum specimen daret, obtulit se poema, quod vulgo Vergilio tribuitur cuique titulus inscribitur Ciris. Inter carmina minora, quae veteres reliquerunt, non credo alterum esse, quod ampliorem disputandi materiem praebeat. Praeterquam enim quod nescimus, quisnam hujus carminis auctor fuerit, is non solum Vergilium, Catullum aliosque poetas Latinos imitatione expressit, sed etiam Alexandrinum exemplar ante oculos habuisse videtur. Quidquid autem eruditi hisce de rebus passim scripserint, denuo examinare atque in corpus redigere mihi propositum est.

Imprimis ea, quae alii obiter tantum attigere, subtilius perscrutaturus rem ita instituam, ut concisum carminis argumentum praemittam, deinde omnes nostrae fabulae varietates conferam, porro de poesis genere et carminis auctore quid sentiam, exponam, postremo aliquot animadversiones criticas adjiciam.

Haec de libelli nostri consilio et ratione satis dicta sunto. Restat, ut acceptissimo defungar officio testificandi publice gratias Viris Clarissimis, quorum institutione frui mihi contigit.

Tibi primo Francken, *vir pariter humane atque erudite, maxima a me habetur gratia, qui tam benevolenter promotoris officium susceperis egentemque consilio numquam destitueris.*

Nec non Tibi, Clarissime van Herwerden, *me obligatum sentio pro tua doctrina atque benevolentia. Magni beneficii loco duco, quod Te studiorum meorum moderatorem nactus sum.*

Neque silentio premendus mihi es Tu, Clarissime Brill, *qui et publica institutione et privata admonitione amorem Belgicarum literarum mihi injecisti et omni in genere vitae consilio ac re mihi adfuisti. Video, quantum Tibi debeam tuis in me beneficiis.*

Vos omnes, Viri Clarissimi, quorum scholis adfui, grati accipiatis animi testificationem.

Vos denique, Amici, quibuscum in alma sede Trajectina conjunctissime vixi, valete omnes. Quoad vivam, numquam me vestri capiet oblivio.

CAPUT I.

Carminis Argumentum.

Quamquam totum carmen tantum quingentos quadraginta unum versus continet, auctor centum versus praefando impendendos putavit. Quo in exordio legimus poetam, quamquam Athenis totum se abderet in philosophiam Epicuream jamque se indignum haberet versus facere, tamen non infra se positum arbitratum esse coeptum carmen perficere, quod jam diu Messallae, juvenum doctissimo, promisisset. Postquam auctor deinde muneris levitatem excusavit (vs. 18—47), narrationis argumentum prodidit (vs. 48—53), varias de Scylla fabulas exposuit (vs. 54—91), invocat Musas, ut labori suo aspirare velint (vs. 92—100).

Inde argumentum poematis ab ovo hoc modo enarrare incipit: Minos, Cretae rex, vatem Polyidum repetens, urbem Megara obsidione cinxerat. Statim magna virtute

cives eorumque rex Nisus moenia urbis defendere incipiunt confisi coma regis purpurea, in qua fata urbis constabant. Etenim:

> Cujus quam servata diu natura fuisset,
> Tam patriam incolumem Nisi regnumque futurum
> Concordes stabili firmarunt numine Parcae (vs. 125).
> Nec vero haec crinis custodia vana fuisset (vs. 129),

ni regis filiam Scyllam insano Minois amore a Cupidine inflammari curasset Juno, Scyllae irata, quod scelus in se commiserat, cujus narratio obscurissima sequitur vs. 139—169. Quod autem fuerit scelus illud puellae, ex hoc loco conclamato colligi non potest. Ribbeck (Mus. Rhen. XVIII p. 112—122) ingeniose quidem suspicatur puellam, ut vestem ornaret, templum intrasse, ibi fortasse fibulam deae sumpsisse, idque postea perjurio infitiatam esse, sed hoc mera conjectura nititur. Hoc tamen statui posse videtur virginem Junonem pudoris vindicem laesisse et sacra perturbasse [1]).

Post haec describitur, quorsum furori proximus amor evadere soleat. Videmus infelicem virginem in urbe bacchantem, cultum corporis neglegentem, noctesque diesque occasionem amantis speculandi circumspicientem; colum telamque non curat, curaque expallescit atque extabescit, donec tandem vs. 184:

---

[1]) Lectio Baehrensiana vs. 149: *cum vas e manibus fudit pila* probanda non videtur, quia versibus sequentibus demum Scyllae vitio vertitur quod celeriter *procurrit* aut *prona ruit* (sic enim fortasse corrigendum est) et pallam solverat.

horribili praeceps impellitur oestro,
Ut patris, a demens, crinem de vertice ferret
Furtim atque arguto detonsum mitteret hosti,

ut dato capillo hujus amorem sibi vindicaret.

Hoc loco poeta orationem suam interrumpit iterumque ut vs. 48 exitum fabulae prodit et quasi praesumit. Versu 206 redit, unde aberravit, oratio.

Dum Nisus alto dulcique somno premitur, Scylla, clam Carme nutrice, e lecto surgit auribusque arrectis auscultans num omnia quieta sint, summis digitis e cubiculo egreditur ferroque armata avolat. Timore tamen perterrita nocti quasi narrat, quae facere sibi in animo sit, remoratur paulum in vestibulo paterni thalami (vs. 217) diisque munera promittit, si facinus prospere procedat.

Interim nutrix cardinum stridore e somno expergefacta eam ante patris cubiculum vigilantem deprehendit atque interrogat, cur hic moretur, suspicans ei eundem furorem in artus invasisse, qui quondam Myrrhae Arabae oculos ceperit (vs. 238). Tum puellam frigidulam veste circumdans, qua ipsa est amicta (vs. 250) dulciaque genis rorantibus oscula figens persequitur miserae causas exquirere tabis (vs. 254), sed non patitur eam prius sibi respondere quam in cubiculum redierit. Illa autem pudore prohibita sensus suos aperire vix audet et aegre verba invenit, quibus virum a se amatum indicare possit. Amorem tandem confessa Carmen obtestatur, ut se si servare possit non perdat aut si omnis spes salutis incisa sit, sibi mortem, quam meruerit, non invideat.

His verbis dictis Carme vehementer queri incipit Minoem sibi seni iterum tam crudelem se praestitisse (vs. 285) atque antea cum filiam Britomartin perdidisset. Verum haec, inquit nutrix (vs. 310), tum non sic gravia atque indigna fuere, quod omnem meam spem in te ponebam. Sed nunc etiam te Fortuna crudelis mihi ademit (vs. 313). An nescis, quae tenui spes sit suspensa capillo (vs. 321). Noli tantum facinus tam inconsulte committere; conare potius patri persuadere, ut bellum componat et te Minoi nuptum det incolumi regno.

Quod si non aliqua poteris ratione parentem
Flectere (sed poteris: quid enim non unica possit?) (vs. 333--4)
Tunc potius conata tua atque incepta referto;
Meque deosque tibi comites, mea alumna, futuros
Polliceor (vs. 337—9).

Puellam his vocibus pacatam ori obducta veste Carme consopit totamque per noctem lecto ejus vigilans assidet. Postridie nutricis praeceptis virgo paret (vs. 353) sedulaque omnes causas nubendi patri exponit. Bonae pacis bona laudat, pericula belli instantis depingit, mendacia turpi dolo conficta invenit, quin etiam vates castos corrumpere audet (vs. 365). Etiam nutrix parentis animum sacris faciendis flectere conatur, sed omnia frustra sunt:

Tanta est in parvo fiducia crine — — (vs. 380).

Tum anus ad alumnae inceptum sociam sese adjungit, non solum quod tam constanti amori succurrere cupit, sed etiam quod in Cretam reversa aliquando in patrio solo se sepultum iri sperat. (vs. 385).

Tum coma Sidonio florens deciditur ostro,
Tum capitur Megara et divom responsa probantur,
Tum suspensa novo ritu de navibus altis
Per mare caeruleum trahitur Niseia virgo (vs. 390).

Mediis in fluctibus misera puella lamenta acerba profert. Quamquam non infitiatur se tale supplicium meruisse, tamen non intellegit Minoem tantum malum sibi afferre posse. Omnia enim amori suo postposuerat. Nihil, inquit, me retinere potuit nec regia deliciis dives nec aequalium orbitas nec metus deorum (vs 436). Cur non licuit me nuptiis, quin etiam sepulcro privatam saltem famularum munere fungi et fusos penso gravidos tuae conjugis devolvere (vs 447). Sed tandem fessam virginem vires deficiunt ejusque languida querimonia longo in cursu moritur (vs 462).

Tum navigationis enarratio sequitur, quibus in versibus insulae memorantur quas Scylla, nave cursum tenente, nec praetervehi nec spectare potuit. Quo in itinere virgo incertis ventis jactatur velut cymba parvula, cum sequitur magnas classes et cum turbo Afer bacchatur in aequore hiberno (vs 480), donec Amphitrite non tulit tam formosam puellam ultra vexari eamque in avem Cirin mutavit. Virgo infelix ita a morte erepta solis in rupibus litoribusque desertis vitam incultam exigit, sed ne hanc quidem impune. Jupiter enim, iratus filiam degenerem circumvolare patremque pium vita orbatum, hunc ab inferis excitavit et in alitem haliaëtum convertit, cujus est implacabile in Cirin odium.

Namque (et hac praeclara comparatione poeta carminis finem facit)

ut in aetherio signorum lumine praestans
Unum quem duplici stellatum sidere vidi,
Scorpios alternis clarum fugat Oriona:
Sic inter sese tristis haliaëtos iras
Et Ciris memori servant ad saecula fato.
Quacumque illa levem fugiens secat aethera pinnis,
Ecce inimicus atrox magno stridore per auras
Insequitur Nisus; qua se fert Nisus ad auras,
Illa levem fugiens raptim secat aethera pinnis.

CAPUT II.

De Fabulae Varietate.

Praeter fabulam capite antecedenti enarratam complures aliae de Scylla a veteribus traduntur. Cum autem mihi proposuerim tantum varietates narrationis supra expositae accurate examinare, non necesse videbitur omnia haec poetarum commenta recoquere. Nihil enim cum nostra Scylla commune habent. Cum autem poeta noster studio eruditionis ostentandae facere non potuerit, quin quinque diversas fabulas commemoraret, de his pauca dicam. Demonstrat poeta vs. 54 sqq „complures magnos poetas" errare, qui Scyllam Megaricam et Homericam confundere soleant [1]).

Ii enim perhibent Nisi filiam non mutatam esse in avem Cirin sed in monstrum, quod saxum Scyllaeum infestum reddens navem Ulixis vexaverit ejusque socios

[1]) Qui poetae hoc in numero habendi sint, infra pag. 22 exponam.

laceraverit. Sed haec credere neque Homerus neque auctor, quem isti poetae secuti sunt, patiuntur [1]). Alii enim alias vulgo finxere puellas, ex quibus Scylla Homerica orta esset. Homerus ipse Scyllam Crataeidis filiam esse dicit, alii eam Echidnae filiam putant, alii in carmine Homerico libidinem descriptam esse perhibent, alii denique censent virginem aliquam in monstrum Messanium mutatam esse vel ab Amphitrite, quod Neptunus eam compresserit, vel a Venere, quam puella donis fraudaverit.

Si quid video, toto hoc loco haec poetae argumentatio latet. Cum Homerus ipse Scyllae Crataeidem matrem tribuat, jam hanc ob causam Scylla Homerica Nisi filia esse non potest. Praeterea Scyllam a matre monstrum partam esse idem Homerus dicit, cum nostra Scylla non ante adultam aetatem in monstrum marinum mutata esse potuerit. Sed etiam varia poetarum figmenta de origine monstri Messanii non patiuntur credere nostram Scyllam in illud monstrum conversam esse.

Quid enim juvat contendere, ita pergit poeta, non Crataeidem sed Echidnam monstrum peperisse, aut Scyllae fabulam in carmine Homerico esse allegoricam libidinis narrationem? Eadem rerum repugnantia manet.

At sunt qui narrent, dicet forte quispiam, Scyllam Homericam ante mutationem in monstrum marinum virginem fuisse. Concedo, inquit poeta, sed ii causam

---

[1]) De hac interpretatione versus 63, vide quae Capite IV dicentur.

transformationis non afferunt Minois amorem sed Amphitrites offensam vel Veneris iram.

Quod autem poeta noster de fabula Homerica dicit, id ex parte tantum verum est. Etenim ex Odyss. XII 124 sq.:

ἀλλὰ μάλα σφοδρῶς ἐλάαν, βωστρεῖν δὲ Κραταιΐν
μητέρα τῆς Σκύλλης, ἥ μιν τέκε πῆμα βροτοῖσιν,

non sequitur Crataein Scyllam *monstrum* genuisse. Echidnam Scyllae matrem vindicans poeta eandem theogoniam secutus esse videtur atque Hyginus in fine genealogiarum (cf. ed. M. Schmidt p. 12, 15): „Ex Typhone et Echidna Gorgon, Cerberus, draco qui pellem auream arietis Colchis servabat, Scylla, quae superiorem partem feminae, inferiorem canis habuit," etc. Cf. fab. 151, ejusdem editionis p. 25, ubi eadem fere traduntur.

Quis autem mythologus fuerit, qui in Scyllae fabula libidinem descriptam esse putaverit, memoriae non proditum est. Haud improbabile tamen mihi videtur poetam Alexandrinum, quem etymologia nominis Scyllae ad illam sententiam adduxerit, hic nostro ante oculos fuisse. Alexandrinum dico, quamquam haud nescio poetas Graecos cujusque aevi *ἐτυμολογεῖν* amare. Sed haec non invenusta sunt veluti Ajax a verbo *αἰάζειν*, Odusseus a verbo *ὀδύσσεσθαι* alia. [1]) Etymologiae contra,

---

[1]) Cf. Clar. C. M. Francken: „Disputatio critica de antiquarum Aeschyli interpretationum ..... auctoritate" pag. 49 sqq, ubi videbis hunc „lusum in etymis verborum Aeschylo perquam frequentem esse."

quas poetae Alexandrini excogitaverunt, quibus ingenii copiam ostentarent, plerumque absurdissimae sunt. Nam ut uno pro millibus exemplo defungar, quis risum tenere potest, cum Euphorion dicit Myrmidones Achillem cum ex Chironis disciplina ad patrios lares reverteretur ita vocasse, quod

Ἐς Φθίην χιλοῖο κατήϊε πάμπαν ἄπαστος. [1])

Hanc autem etymologiae rationem secutus Alexandrinus quidam fortasse eandem Scyllae originationem excogitavit ac Fabius Planciades Fulgentius, qui Mythol. Libr. II c. 12 haec tradit: „Scyllam ferunt virginem pulcherrimam, quam Glaucus Antedonis filius amavit, quem Circe Solis filia diligebat; zelataque Scyllam, fontem, in quo lavari solita erat, venenis infecit. Ubi illa descendens, ab inguine lupis canibusque marinis inserta (?) est. Scylla enim Graece quasi *σκυλμὸς* dicta est, quod nos Latine confusio dicimus. Et quid confusio nisi libido est? quam libidinem Glaucus amat," etc. [2])

Varietas fabulae, quam Ciris scriptor de origine Scyllae Homericae vs. 70 sqq. affert plane eadem est atque illa, quam Tzetzes ad Lycophr. 650 de Scylla, Nisi filia

---

[1]) Cf. Meineke Anal. Alex. pag. 98.

[2]) Heraclides, quem simili modo fabulam interpretatum esse Heyne pag. 169 perperam putat, per Scyllam omnifariam impudentiam allegorice descriptam esse dicit. Cf. Heracl. Allegoriae Homericae pag. 212, ed. Nic. Schow, Goettingae 1782: *Σκύλλαν τε τὴν πολύμορφον ἀναίδειαν ἠλληγόρησεν, διὸ δὴ κύνας οὐκ ἀλόγως ὑπέζωσται προτομαῖς, ἁρπαγῇ, τόλμῃ καὶ πλεονεξίᾳ πεφραγμέναις*, quem locum inde a *διὸ δὴ* sic scribit Mehler, Heracliti Alleg. Hom. spec., novae ed. p. 51: *διὸ δὴ καὶ κυνῶν οὐκ ἀλόγως ὑπέζωσται προτομὰς — πεφραγμένας.*

tradit (cf. pag. 21) nisi quod hic pro mari, in quo Scylla corpus lavaret, fontem Amphitriten veneno infecisse dicit.

Fulgentius loco, quem modo descripsimus, eandem transformationem tradit.

Ultima fabulae. varietas, cujus noster Palaephatum auctorem affert, plane congruit cum iis, quae apud Heraclitum „De incredibilibus" Cap. II leguntur: λέγεται περὶ ταύτης (Scyllam dicit) ὅτι κατήσθιε τοὺς παραπλέοντας. ἦν δὲ αὕτη νησιῶτις καλὴ ἑταίρα, καὶ εἶχε παρασίτους λοιμούς (fortasse λυγρούς) τε καὶ κυνώδεις, μεθ' ὧν τοὺς ξένους κατήσθιεν, ἐν οἷς καὶ τοὺς Ὀδυσσέως ἑταίρους· αὐτὸν δὲ ὡς φρόνιμον οὐκ ἠδυνήθη.[1])

Num Palaephatus quidam simili modo fabulam interpretatus sit, non constat. Superest quidem auctoris eo nomine libellus περὶ ἀπίστων inscriptus, sed in hoc opusculo tale quid non occurrit. Immo, cap. 21 fabula de monstro Scylla orta esse traditur ex narratione, ab Ulixe Alcinoo facta, quomodo quidem effugerit navem Tyrrhenorum piraticam, cui Scyllae esset nomen. Non dubium tamen hunc libellum epitomen esse, fortasse ex majore opere desumptam, cujus Suidas mentionem facit.[2]) Is enim quatuor scriptores nomine Palaephati afferens, dicit Palaephatum Parium vel juxta alios Prienensem, aequalem Artaxerxis scripsisse ἀπίστων βιβλία ε'. Cum autem Suidas ipse addat alios hunc librum Palaephato recentiori, grammatico Atheniensi vel Aegyptio tribuere, fieri potest ut libellus, quem nos habemus, falsum titulum ferat atque epitome sit ex hujus Palaephati libro λύσεις

[1]) Cf. Westermann: Mythographi Graeci 1843 pag. 313.

[2]) Cf. Westermann in Pauli Encycl. V p. 1069.

τῶν μυθικῶς εἰρημένων inscripto, idque eo magis, quod argumentum nostri libelli huic inscriptioni plane respondet, ejus inscriptio in Mss. aliquot est ἐκ τῶν Παλαιφάτου, nec ulla in libros divisio, cum ἀπίστων opus quinque libris contineretur. Quae si ita sunt, mirationem non habet, Palaephati illam doctam paginam, cujus noster mentionem facit, in nostris exemplaribus non reperiri.

Sed diversis illis de Scylla fabulis missis, videamus potius, quae nobis de Nisi filia tradita sint.

Mirum quantum in iis quoque veteres inter se dissentiunt, quam ob rem optimum erit ad Rohdii exemplar omnes veterum locos accurate disponere. [1]) Tunc apparebit auctores variare èt de ea quaestione, num Minos nuptias Scyllae promisisset, èt de Scyllae post urbem expugnatam sorte, èt de ejus exitu.

Sed priusquam haec accuratius examinamus, pauca dicenda sunt de fabulae varietate, quam apud Aeschylum offendimus et quae nusquam alibi reperitur.

Ille poeta tragicus exempla proferens nefandi feminarum amoris narrat crudelem Scyllam pro hostibus virum carum perdidisse, cum donis Minois, monilibus aureis, corrupta Nisum somno improvide indulgentem crine immortali privarit. [2]) Eo ergo teste Scylla facinus

---

[1]) Cf. Erwin Rohde: Der griechische Roman, pag. 93 sq. not. Leipzig 1876.

[2]) Cf. Choeph. vs 615 sqq.
Ἄλλαν δ' ἔστιν (Herm. pro δή τιν') ἐν λόγοις στυγεῖν,

commisit dono Minois permota, nec tantum amore, ut apud omnes reliquos legimus. Praeterea notandum est Aeschylum, *τρίχα ἀθανάταν* nominantem, in medio reliquisse, cujusnam coloris Nisi capillus fuerit. Hoc idem facit Scholiastes ad Dionysii Periegesin 420 cum narrans, quomodo Parthenius quidam eandem fabulam tractaverit, verbis *μόρσιμον πλόκαμον* utitur. Sed non mirandum est, quod ii summis digitis, ut dicitur, fabulam attingentes potius tradidere hoc capillo fata patria contineri quam quod crinis colorem commemorarent. Contra omnes fere alii auctores disertis verbis testantur crinem fuisse coloris purpurei. Ita passim noster, plerumque ut bonus poeta variis modis eandem rem significans. Vide:

vs. 52 Hanc pro purpureo poenam scelerata capillo.
„ 122 Et roseus medio surgebat vertice crinis.
„ 281 Purpureum patris dempsissem vertice crinem.
„ 320 Edita candentes praetexat purpura canos.
„ 382 Purpureumque parat rursus tondere capillum.
„ 387 Tum coma Sidonio florens deciditur ostro.
„ 501 Puniceam concussit apex in vertice cristam.

Jam Schraderus noster vidit versum 52 effictum esse ad similitudinem Vergilii Georg. I 405:

Et pro purpureo poenas dat Scylla capillo.

Cum his congruunt Ovidii Metamm. VIII vs. 9:

Σκύλλαν, ἅτ' ἐχθρῶν ὕπαι
φῶτ' ἀπώλεσεν φίλον Κρητικοῖς
χρυσοκμήτοισιν ὅρμοις πιθήσασα δώροισι Μίνω,
Νῖσον ἀθανάτας τριχὸς
νοσφίσασ' ἀπροβούλως
πνέονθ' ἁ κυνόφρων ὕπνῳ. κιγχάνει δέ νιν Ἑρμῆς.

Cui (sc. Niso) splendidus ostro
Inter honoratos medio de vertice canos
Crinis inhaerebat magni fiducia regni.

et ejusdem carminis vs. 92:

Cape pignus amoris
Purpureum crinem.

Porro Propertii Lib. III (IV) c. 19. 22:

Tondes purpurea regna paterna coma.

Tibulli Lib. I, 4, 63:

Carmine purpureast Nisi coma: carmina ni sint,
Ex humero Pelopis non nituisset ebur.

Statii Thebaidis Lib. I. vs. 332 sqq.

Hinc arcte scopuloso in limite pendens
Infames Scyrone petras Scyllaeaque rura
Purpureo regnata seni mitemque Corinthon
Linquit, et in mediis audit duo litora campis.

et Hygini fabula 191: Nisus.... in capite crinem purpureum habuisse dicitur.

Quod ad Graecos attinet, primus conferatur Suidas, qui sub voce *κρὲξ* verba affert incerti auctoris: *πορφυρέην ἤμησε κρέκα* quae Meinekio et Bernhardio ex laudato Parthenii carmine ducta esse videbantur, [1]) ab aliis Callimachi *Ἑκάλῃ* aut *Αἰτίοις* assignantur.

Eundem capilli colorem memorant Apollodorus III, 15, 8: *ἔχοντι γὰρ αὐτῷ πορφυρέαν ἐν μέσῃ τῇ κεφαλῇ τρίχα* et Dio Chrysostomus cum Orat. LXIV § 27 inter varia fortunae dona etiam Nisi *πλόκαμον πορφυροῦν* enumerat. Porro idem testantur Pausanias I 19, 4 et Eutecnius Sophistes

[1]) Cf. Meineke Anal. Alex. p. 271.

in Paraphrasi Oppiani Librorum de Aucupio II: 14, quorum ille Niso in capite τρίχας πορφυρᾶς, hic πορφυροῦν πλόκαμον fuisse dicit. Postremo cum his congruunt verba Nonni Διονυσιακά XXV : 162 sqq.

> Σκύλλα γὰρ ὑπνώοντος ἀκερσοκόμοιο τοκῆος
> ἥλικα πορφυρέης ἀπεκείρατο βότρυν ἐθείρης,
> καὶ πόλιν ἔπραθε πᾶσαν etc.

Duo tantum auctores, quod sciam, capillum aureum memorant, Scholiastes ad Eurip. Hipp. 1190: ὁ Νῖσος, ὃς εἶχε χρυσοῦν πλόκαμον ἐπὶ τῆς κεφαλῆς [αὐτοῦ] et Tzetzes ad Lycophr. 650: τεμοῦσα δὲ τὴν χρυσῆν αὐτοῦ τρίχα. Sed hi fortasse erraverunt, memores illius aurei crinis Pterelaum immortalem reddentis. Haec enim fabula nostrae simillima est, cum Comaetho quoque, Pterelai filia, amore Amphitryonis permota, patris comam abscindat [1]).

Sed illa Aeschylea fabulae de dono varietas, quae conformata esse videatur ad historiam Amphiarai et Eriphyles, jure merito a plerisque spreta, qui Scyllam miseratione non prorsus indignam fingere vellent. Jam misso Aeschyli loco, unde haec de crinis colore disputatio orta est, ad ceteras transeamus, quae melius congruunt.

Rohdii locorum dispositionem sequentes, primum nunc quaerimus, num Minos Scyllae suum conjugium promisisset. Sine dubio omnes reliqui auctores hac in re consentiunt Scyllam facinus commisisse, ut dato Minoi capillo ejus amorem sibi conciliaret. Sed unde cognoverat, Minoem tum suae voluntati obsecuturum esse? Minosne ei promiserat, se eam uxorem ducturum esse, si

---

[1]) Cf. Apollodor. Bibl. II: 4, 7, 5. et Tzetz. ad Lycophr. 934.

sibi fatalem crinem mitteret? Non multis verbis sed obiter poeta noster ad ea respondet. Ut enim vs. 187 legimus, miserae virgini condicio proponitur detonsum crinem hosti mittendi. Quaeritur cujus rei condicio. Matrimonii respondeo. Vide vs. 414

> Illa ego sum, Minos, sacrato foedere coniunx
> Dicta tibi

et vs. 422

> Si nostra ante aliquis nudasset foedera casus.

Ejusmodi pactum inter Minoem et Scyllam factum produnt etiam verba Hygini fab. 198: „Cum Minos Cretam rediret, eum *ex fide data* rogavit (sc. Scylla), ut secum aveheret", et ea quae legimus apud Scholiast. ad Eurip. Hipp. 1190: *Σκύλλα θεωρήσασα τὸν Μίνωα, ἐφίλησεν αὐτὸν καὶ συνετάξατο αὐτῷ προδοῦναι τὴν πόλιν, εἰ λάβοι αὐτὴν γυναῖκα. ὁ δὲ συνέθετο.*

Nonne etiam huc spectat, quod dicit Pausanias II, 34, 7: „*ὁ Μίνως οὔτε γυναῖκα ἕξειν αὐτὴν ἔτι ἔφασκεν*"?

At contra prorsus in diversa abiit Ovidius Metamm. VIII: 1 sqq. Ibi enim talis foederis mentio non fit, sed puella sua sponte consilium init patris perdendi, ut Minos se uxorem accipiat secumque habeat. Quam varietatem Ovidius fortasse finxit ut Minos, qui justitiae causa apud inferos judex constitutus esse dicitur, apud superos quoque semper justus fuisse videretur. Ceteri auctores nostra de quaestione omnino nihil dixerunt.

Jam videamus, quae Scyllae sors fuerit post urbem expugnatam.

Variata est memoria hujus rei. Poeta noster eorum

est, qui narrant, Minoem virginem navi alligasse. Sed verbo tantum hoc memoravit vs 389 sq:

Tum suspensa novo ritu de navibus altis
Per mare caeruleum trahitur Niseia virgo.

Idem hac de re tradiderunt: Propertius III (IV) 19, 26:

Pendet Cretaea tracta puella rate;

Apollodorus III, 15, 8: *Μίνως δὲ Μεγάρων κρατήσας καὶ τὴν κόρην τῆς πρύμνης τῶν ποδῶν ἐκδήσας ὑποβρύχιον ἐποίησεν.* Scholiastes ad Eurip. Hippol. 1190: *(ὁ Μίνως) ἔλαβεν αὐτὴν ἐπάνω τοῦ πλοίου, καὶ ἔδησεν αὐτὴν εἰς τὸ πλοῖον.* Tzetzes ad Lycophr. 650: *κρεμασθεῖσα τῆς πρώρας τῆς ἐκείνου νηός,* et Eustathius ad Dionysii Periegesin 420: *Μίνως .... προσδήσας πηδαλίῳ νηὸς τὴν προδότιν καὶ πατροφόντιν ἀφῆκε σύρεσθαι διὰ θαλάσσης.* [1])

Ex auctoris nostri verbis laudatis primo obtutu non videmus, utrum puella prorae an puppi alligetur neque disertius hoc exponitur vs 416 sq.

Vinctane tam magni tranabo gurgitis undas?
Vincta tot assiduas pendebo ex ordine luces?

Heynio autem verisimile videtur hoc in prora factum esse „quod ibi parasemum esset, in quo forte fabulae possit origo ac causa latere, cum puella efficta esset, quae suspensa per mare trahi videri posset". Sed recte adnotat: non adjicitur, an in prora. Contra, si quid video, verbo *trahi*, quod plane respondet Graeco

---

[1]) Eandem Saronici maris originationem *ἀπὸ τοῦ σύρεσθαι* tradiderunt Tzetzes ll: *καὶ ἑλκομένη διὰ τῆς θαλάσσης, ὅθεν καὶ ὁ τόπος τοῦ πελάγους, οἶμαι, ἐκλήθη,* et Scholiastes ad Eurip. Hipp. ll: *καὶ ἔμεινε συρομένη ἐν τῇ θαλάσσῃ. Καὶ διὰ τοῦτο ἐκλήθη τὸ πέλαγος Σαρωνικόν.*

σύρεσθαι, poeta significare et adnuere videtur virginem puppi alligatam esse. Quod quidem magis credo, quia, testante Eustathio ll., congruentia reperiebantur apud Parthenium, quem noster imitatus esse videtur. Ejusdem sententiae fuerunt grammatici, qui apud Ovid. Art. Am. I 331 sqq.

Filia purpureos Niso furata capillos
Puppe cadens celsa facta refertur avis,
Altera Scylla maris monstrum medicamine Circes
Pube premit rabidos inguinibusque canes

versus duo medios interpolaverunt. Sed hac de re vide quae infra Cap. III dicentur.

Longe alia alii de Scyllae post urbis expugnationem sorte narraverunt.

Ovidius tradit puellam a Minoe ei sceleris praemia non praestante relictam invitum eum insequi velle et insilire in mare. [1]) His similia leguntur apud Hyginum [2]), dum Pausanias rursus in diversa abit, memorans, Minoem suis imperasse, ut in mare eam abjicerent [3]).

---

[1]) Vide Metamm. VIII 141 sqq:
Insequar invitum, puppimque amplexa recurvam
Per freta longa trahar. Vix dixerat, insilit undas
Consequiturque rates faciente Cupidine vires
Gnosiacaeque haeret comes invidiosa carinae.

[2]) Vide Fab. 198:
Ille (sc. Nisus) negavit Creten sanctissimam tantum scelus recepturam. Illa se in mare praecipitavit, *ut navem persequeretur*. Ita enim Mauricius Schmidt recte conjecit pro *ne persequeretur*, quod sententiam aptam non praebet. Quam conjecturam probabilem reddit inepta varietas schol. *ne pater persequeretur*.

[3]) Cf. Lib. II 34, 7:
ὁ Μίνως προσέταξε τοῖς Κρησὶν ἐκβάλλειν τῆς νεώς.

Transeo ad varietates de virginis exitu, qua de re inter scriptores veteres non minor dissensio est.

Jam Cap. I verbo memoravi, quae noster hac de re scripserit. Loci, qui huc spectant, sunt vs. 481 sqq:

tale decus formae vexarier auris
Non tulit ac miseros mutavit virginis artus
Caeruleo pollens coniunx Neptunia regno.
Sed tamen aeternam (*leg.* aeternum) squamis vestire puellam
Invisosque inter teneram committere pisces
Non statuit (nimium est avidum pecus Amphitrites):
Aëriis potius sublimem sustulit alis,
Esset ut in terris facti de nomine ciris,
Ciris Amyclaeo formosior ansere Ledae.

sed Jupiter, ita legimus vs 522 sqq:

Commotus talem ad superos volitare puellam,
Cum pater extinctus caeca sub nocte lateret,
Illi pro pietate sua . . . .
. . . . . .
Reddidit optatam mutato corpore vitam
Fecitque in terris haliaëtos ales ut esset.
Huic vero miserae . . . . .
Infesti apposuit odium crudele parentis.

Et tum sequitur illa arguta comparatio jam supra laudata, qua poeta graphice oculis subjicit, quam pertinaci odio Haliaëtus Cirin persequatur.

Eandem transformationem in animo habuit Vergilius, cum Georg. I 404 sqq inter praesagia serenitatis hoc quoque memoraret:

Apparet liquido sublimis in aëre Nisus,
Et pro purpureo poenas dat Scylla capillo:
Quacumque illa levem fugiens secat aethera pinnis,

Ecce inimicus atrox magno stridore per auras
Insequitur Nisus; qua se fert Nisus ad auras,
Illa levem fugiens raptim secat aethera pinnis.

Qui versus, quamquam paucis mutatis, reperiuntur in Ciri vs. 49, 52, 538—541.

Ovidius quoque, quamquam ubique alibi nostram Scyllam cum Crataeidis filia confundens, qua de re infra accuratius dicemus, eundem exitum narrat Metamm. VIII: 145 sqq:

Quam pater ut vidit, (nam iam pendebat in auras (*aura?*),
Et modo factus erat fulvis haliaëtos alis)
Ibat, ut haerentem rostro laniaret adunco.
Illa metu puppim dimittit, at aura cadentem
Sustinuisse levis, ne tangeret aequora, visa est:
Pluma fuit; plumis in avem mutata vocatur
Ciris et a tonso est hoc nomen adepta capillo.

Graecorum auctorum plane cum nostro congruunt Eutecnius Sophistes et Eustathius, quorum ille in paraphrasi Oppiani vel potius Dionysii librorum de Aucupio II p. 119 (ed. Lehrs Didot 1851) haec affert: *καὶ μεταβέβληται μὲν οὕτως εἰς ὄρνεον αὕτη, μισεῖται δὲ καὶ παρὰ πάντων ὀρνέων, κἂν ἁλιαίετος αὐτὴν θεάσηται πλανωμένην, εὐθὺς ἐπιθέμενος διαφθείρει,* hic ad Dionysii Periegesin 420 de Scylla testatur: *καὶ αὐτὴ μὲν εἰς ὄρνεον μετεβλήθη*, omnino nihil de Nisi transformatione addens. Quod autem hoc neglexit, mirari non licet, quia Parthenii carmen in epitomen coegit, ut ex iis, quae sequuntur: *ὥς φησι Παρθένιος ὁ τὰς Μεταμορφώσεις γράψαι λεγόμενος* luce clarius apparet; hinc vero non sequi Parthenium quoque Nisi transformationem non tradidisse, nemo negabit. Partim a nostro abhorret Hyginus, qui, quamquam fab 242 narrans Nisum crine

fatali amisso ipsum se interfecisse, fab. 198 de hujus transformatione cum nostro plane congruit, de Scylla vero discrepat. „Filia, inquit, (conversa est) in piscem, cirin quem vocant" [1]). „Hodieque", ita pergit, „si quando ea avis eum piscem natantem conspexerit, mittit se in aquam raptumque unguibus dilaniat". Quam varietatem scriptorem Ciris quoque novisse ex versibus 484 sqq. supra laudatis satis constat.

Sed alii poetae fabulam aliter tractaverunt, ut Scholiastes ad Eurip Hippol. 1190 docet: *ἐκπεσοῦσα δὲ ἐν τῇ θαλάσσῃ καὶ θηρίον γενομένη, τὴν ἰδίαν φύσιν οὐδαμῶς μετέβαλεν.* Quae compares cum iis quae leguntur apud Tzetzen ad Lycophr. 650, ubi Nisi filia confunditur cum puella a Neptuno compressa ideoque ab Amphitrite in monstrum mutata. Extant enim haec: *Ἄλλοι δέ φασι γυναῖκα ταύτην εἶναι εὐπρεπῆ, ἣν μισγομένην Ποσειδῶνι γνοῦσα Ἀμφιτρίτη ἐνέβαλε φάρμακα τῇ πηγῇ, ἐφ' ἧς εἰώθει ἡ Σκύλλα λοῦσθαι, καὶ ἀπεθηρίωσεν αὐτὴν εἰς θηρίον, ἓξ κεφαλὰς ἔχον κ. τ. λ.* Eandem fere narrationem Ciris scriptorem de Scylla Homerica tradere vs 70 sqq. jam supra vidimus pag. 11.

Praeterea complures poetae Scyllam nostram, ut supra jam memoravi, cum Crataeidis filia confudere,

---

[1]) Quem auctorem Hyginus hoc loco secutus sit, nescimus, sed piscium genus fuisse eodem nomine apparet ex Etym. Magno in voce *κίρρις, ὁ ἰχθύς· ἐπειδὴ κιρρός ἐστι τὴν χροιάν.* Cf. Oppianus Hal. I 128:

Ἄλλαι δὲ χθαμαλαὶ ψαμαθώδεος ἄγχι θαλάσσης
λεπράδες, ὡς κίρρις τε σύαινά τε καὶ βασιλίσκοι,
ἐν δὲ μύλοι τρίγλης τε ῥοδόχροα φῦλα νέμονται.

et III 187:

τρίγλη δ' ὀρφὸν ἔπεφνε, καὶ ἔσπασε κιρρίδα πέρκη.

narrantes virginem in monstrum marinum Homericum mutatam esse, Scyllaeum, (ut noster vs 57 sqq dicit),

monstro [1]) saxum infestasse voraci . . . .
Candida succinctam latrantibus inguina monstris
Dulichias vexasse rates et gurgite in alto
Deprensos nautas canibus lacerasse marinis.

Quo in poetarum numero procul dubio primus ducendus est Vergilius. Nam Ciris versus modo laudati 57 sqq, verbis *a timidos* in *deprensos* mutatis, toti desumpti sunt ex Ecloga VI 75 sqq., ibique ad Scyllam Nisi filiam spectant, ut ex versu antecedenti apparet:

Quid loquar aut Scyllam Nisi quam fama secuta est.

Doeringium, Wagnerum alios, memores Scyllae transformationis in avem a Vergilio Georg. I: 404 sqq. traditae, vocabulo *aut* aute *quam* inserendo hanc repugnantiam tollere conatos esse, haud nescio, sed hanc conjecturam non probabilem esse ostendit jam H. Keilius Philol. II: 165. Intulerunt enim *aut* contra omnem codicum auctoritatem, quia Probus secundum Servii annotationes hanc lectionem nosse videtur. Sed magis est ut credamus grammaticum quendam in Probi exemplari vocabulum *aut* inseruisse, quam ut putemus Vergilium poetam eximium Scyllam Nisi filiam nomine tantum designasse, alteram tribus versibus continuis descripsisse.

Eadem utriusque Scyllae confusio reperitur apud Propertium IV (V) 4: 39 sq., ubi Tarpeia, virgo Vestalis, amore regis Sabini Tatii capta Capitolium Sabinis proditura, exclamat:

---

[1]) De hoc vocabulo vide nostram conjecturam Cap. IV.

Quid mirum in patrios Scyllam saevisse capillos,
Candidaque in saevos inguina versa canes?

Sed maxime omnium hac in re Ovidius peccavit; quinque enim in ejus carminibus loci adsunt, ubi Scylla Nisi filia in monstrum marinum mutata esse narratur.

Huc pertinere puto Epist. Heroid. XII: 123 sq. ubi Medea furibunda, quod Iason se repudiavit, exclamat: utinam ambo simul fuissemus elisi inter Symplegades,

Aut nos Scylla rapax canibus misisset edendos!

et addit:

Debuit ingratis Scylla nocere viris,

verba, quae, ut opinor, ad Nisi filiam spectare debent. Hoc enim Medea vult: Quia Scylla et ipsa aliquando ab ingrato viro (i. e. Minoe) repudiata est, debuit omnibus ingratis viris nocere. Ceteri loci, qui nullum dubitationi locum relinquunt, hi sunt:

Ars Amat. I 331 sq:

Filia purpureos Niso furata capillos
Pube premit rabidos inguinibusque canes,

quos versus leni mutatione poeta repetivit Amorum Lib. III 12 vs. 21 sq:

Per nos (i. e. poetas) Scylla patri canos furata etc.

Remed. Amoris vs. 737:

Praeterita cautus Niseide navita gaudet.

et Fastorum Lib. IV vs. 499 sq.

Effugit (Cererem poeta dicit Persephonen quaerentem
Effugit et Syrtes et te, Zanclaea Charybdis,
Et vos, Nisaei, naufraga monstra, canes.

Qua de permutatione utriusque Scyllae primus, quod sciam, disputavit Nic. Heinsius ad Sabini epist. I, 33; vide ejus commentarium in Ovidii opera Tom. III pag. 408 ed Fischer Lipsiae 1758.

Denique longe alius Scyllae exitus memorandus est, ab Apollodoro et Pausania traditus, quorum ille (Bibl. III, 15, 8) dicit Minoem Megaris potitum virginem vinctam pedibus e puppi in mare dejectam mersisse (*ὑποβρύχιον ἐποίησεν*), alter (Perieg. II : 34, 7) haec affert: *καὶ* (*ὁ Μίνως*) *προσέταξε τοῖς Κρησὶν* (*αὐτὴν*) *ἐκβάλλειν τῆς νεώς, ἀποθανοῦσαν δὲ ἀπέρριψεν ἐς τὴν ἄκραν ταύτην* (promontorium Scyllaeum dicit, cui a Nisi filia nomen est, ut paulo ante tradidit) *ὁ κλύδων.*[1]) *Τάφον δὲ οὐκ ἀποφαίνουσιν αὐτῆς, ἀλλὰ περιοφθῆναι τὸν νεκρόν φασι διαφορηθέντα ὑπὸ τῶν ἐκ θαλάσσης ὀρνίθων.*

Comparatis omnibus fabulae varietatibus, restat, ut indicemus, quid scriptor Ciris in narrando novaverit vel addiderit. Haec tantum pauca sunt neque ad Scyllam ipsam sed ad secundarum partium personas pertinent. Cum neque in nostra neque in fabula de Carmes fatis, quod sciam, tradatur Carme captiva abducta (cf. vs 290) in Nisi potestatem venisse et ab hoc Scyllae filiae nutrix data esse, noster has partes finxisse videtur, nisi eas forte a tragoedia perdita mutuatus sit. Nam tragoediam de Scylla Nisi filia fuisse, apparet ex Ovid. Tristium II 393:

---

[1]) Promontorium Scyllaeum in Hermione situm a nostra Scylla nomen accepisse, etiam memorat Strabo VIII : 6, 13: *Τὸ δὲ Σκύλλαιον τὸ ἐν Ἑρμιόνῃ ὠνομάσθαι φασὶν ἀπὸ Σκύλλης τῆς Νίσου θυγατρός, ἣν ἐξ ἔρωτος προδοῦσαν Μίνῳ τὴν Νισαίαν καταποντωθῆναί φασιν ὑπ' αὐτοῦ, δεῦρο δ' ἐκκυμανθεῖσαν ταφῆς τυχεῖν.*

Impia nec tragicos tetigisset Scylla cothurnos
Ni patrium crinem desecuisset amor.

Tum de Minoe novi aliquid a nostro affertur, cum Scylla virum amatum nutrici designatura illum „nec ullo vulnere laedi" (cf. vs 270) posse tradat. Qui enim Heyne putare potuerit illis verbis hoc tantum significari „Minoem aliquando immortalem fore", merito miraberis.

Haec habui, quae de fabulae innovatione adderem. Quod autem ad Scyllae personae effictionem attinet, ea talis est, quae demonstret, poetam bene perspexisse, cujus naturae fabulam esse oporteat, quae lectorum animos moveat. Nempe Scylla facinore, quod in Junonem commisit, non tam gravem poenam merita est, quam Amor ab ea petivit eaque ipsa de causa miseratione non prorsus indigna est.

Finem huic disputationi de fabulae varietate impono pauca addens de narrationis origine atque indole.

Notatu sane dignum est nomina personarum, quae nostra in fabula primas partes agant, cognationem insignem habere cum nominibus locorum, quae in agro Megarensi aut non procul ab eo sita sint.

Quae cum ita sint, mihi haud improbabile videtur fabulam omnino ad certum locum pertinere atque ortam esse ex contentione, quam Dores, cum tota Peloponneso jam potiti essent, cum Ionibus in agro Megarensi habuerint, qua in contentione cum Dores Minoam insulam jam occupassent, Nisaea aliquantisper defensa sit ab Ionibus. Quam verisimile igitur est, poetam Nisi nomen ex urbe Nisaea, Minois autem ex

insula Minoa duxisse, praesertim cum eadem nomina praeclaris Dorum Ionumque ducibus fuerint. Cum porro satis constet vocem „*Scyllae*" a verbo σκύλλω derivatam adhiberi solere de periculoso scopulo, (cogites de promontorio Scyllaeo, quod non tam longe a Megaride distat), apertum est poetam hac re inductum esse, ut Scyllam, i. e. *scopulosum* mare θαλασσοκρατοῦντι Μίνωι sociam adjungeret.

CAPUT III.

De Genere Poesis et Carminis Auctore.

Scriptorem Ciris Catullum Vergiliumque imitatum esse, facile apparet. Quin etiam imitatio ea tam aperta ac manifesta est, ut Lucianus Muellerus poema „vix aliud quam centonem ex Catullo Vergilioque conflatum" judicaverit,[1]) cujus sententiam Aemilius Baehrens probavit verbis Horatii variatis, dicens, „poetam simium fuisse nihilque praeter Catullum et Vergilium cantare doctum".[2])

Primus autem hac de imitatione Johannes Schrader noster disputavit,[3]) cujus vestigiis, quod sciam, ingressi sunt C. G. Lentz,[4]) J. Sillig,[5]) M. Haupt,[6]) L. Mueller,[7])

---

1) Cf. Praefatio Catulli pag. XLIII Lips. Teubner.

2) Cf. Emendationes in Cirin in Fleckeiseni Annal. 1872 p. 833.

3) Cf. Liber Emendationum Leovardiae 1776 pag. 33, 63, 64.

4) Cf. C. Valerii Catulli carmen de nuptiis Pelei et Thetidos. Altenburgi 1787 pag. 82 sq.

5) Cf. Editio Vergilii Heiniana quarta, quam Ph. Wagner curavit, vol IV pag. 155 sq.

6) Cf. Quaestiones Catullianae Lips. 1837 pag. 45, 75. Observationes Criticae Lips. 1841, pag. 6, 14.
Relationes menstruae Academiae Berolinensis a. 1858 pag. 659.

7) Cf. Praefatio Catulli, pag. XLIII Lips. Teubner.

J. Maehly,[1]) L. Schwabe[2]) et postremus Aem. Baehrens[3]).

Mihi in animo erat versus ab iis Viris Doctis indicatos quam accuratissime colligere et jam operam navaveram iis undique comparandis, cum nuperrime Aem. Baehrens in fine voluminis II libri sui: „Poetae Latini Minores" inscripti harum imitationum indicem adjecit. Quare quod editio Teubneriana, cui consilium est haec accuratius examinare, facile adest, non necesse habui omnes hos locos exscribere.

Quantopere poeta hac in re modum transierit, unicuique statim in oculos incurrit, cum videt Baehrensium inter quingentos quadraginta unum versus, quos carmen continet, plus quam centum quadraginta horum poetarum imitationem redolentes indicavisse.

In his quidem nonnulli sunt loci, in quibus imitationem agnoscere non possum, sed rursus nonnullos alios his addendos esse censeo. Quod ad Ciris vs. 125:

Concordes stabili firmarunt numine Parcae,

mentio non fit loci jam a Schradero indicati, Vergilii Ecl. IV, 47:

Concordes stabili fatorum numine Parcae,

culpam casui assignandam puto. Nonnullos autem locos a L. Schwabio tanquam imitationem Catulli prodentes memoratos Baehrens consulto praeteriisse videtur. Est

---

1) Cf. Censura Appendicis Vergilianae Ribbeckianae in Annal. Heidelb. 1870 pag. 801 sqq.

2) Cf. In Cirin carmen observationum pars I, Dorpati Livonorum 1871 et Fleckeiseni Annales 1873 p. 633 sq.

3) Cf. Emendationes in Cirin in Fleckeiseni Annal. 1872 pag. 833 sqq. et 1873 p. 773 sq.

enim dubium, num poeta Ciris vs 22 *Erechtheus* (Erechtheis—Athenis) a Catullo sumpserit (cf. 64:211 Sospitem *Erechtheum* se ostendit visere *portum*) et eundem secutus sit, cum versu sequenti Minervam *castam* nominaret, (cf. Cat. carm. 64 : 212 *castae* cum moenia *divae*), et versu 114 vocabulum *Gortynius* Minoi adjectum mutuatus sit ex Catulli carmine 64:75 „Attigit injusti regis Gortynia tecta". Sed vs 26 *currum* dictum est pro *navem Panathenaicam* ut a Catullo carmine 64:9 pro *navem Argo* et clausula vs 104: *concedere digna* reperitur in Catulli carmine 68 vs 131. Denique negari non potest versu 200 Philomelam et Procnen, *puellas Dauliades* nominari ad Catulli exemplar, qui Philomelam Dauliadem dixerit. (Cf. 65 : 14 Daulias absumpti fata dolens Ityli.)

Quod Baehrens his locis imitationem non agnovit, eo magis mirandum est, quod ipse nonnumquam multo faciliorem judicem se praebuit et imitationis vestigia jam deprehendisse se putavit, cum idem verbum aut eandem verborum copulationem apud Vergilium vel Catullum reperiret. Ad sententiam meam probandam locos, quibus offensus sum, uberius tractabo.

Ciris versu 81 verbum *expalluit* indicatur tamquam imitationem prodens Catulli 64: 100, ubi idem illud *expalluit* occurrit. Sed hinc nullum argumentum peti potest, nisi constet hoc verbum eadem sententia apud alios scriptores ante Ciris scriptoris aetatem non reperiri. Confer tamen Plauti Curc. 2, 3, 32, Auctoris ad Herennium 2, 5 al.

Eandem ob causam nego poetam Ciris vs 261

Nec genitor cordi est: *ultro* namque odimus omnes

vocabulum *ultro* sumpsisse ex Aen. II, 145:

His lacrimis vitam damus et miserescimus *ultro.*

Nam si quid video, *ultro* apud Vergilium eodem sensu positum est quo apud Ciceronem in oratione pro Flacco c. 19: „Pro quo cum a P. Varinio praetore pecuniam accepisset, celavit suos cives, ultroque iis sumptum intulit." Sic ad Ciris vs 40:

Hanc urbem ante alios qui tum florebat in armis
Fecerat infestam etc.

Baehrens affert Aen. VII, 55:

petit ante alios pulcherrimus omnis
Turnus.

Potuisset addere Aen. I, 347:

Pygmalion, scelere ante alios immanior omnes.

Sed *ante* adhiberi in comparationibus jam reperimus apud Balbum in Ciceronis ad Att 8, 15: „Nam cave putes hoc tempore plus me quemquam cruciari, quod eum, quem *ante me* diligo, video in consulatu quidvis potius esse quam consulem." Confer insuper Livii Lib. 35 cap. 14: „Tu me vero, inquit, et ante Alexandrum et ante Pyrrhum et *ante onmes alios* imperatores esse" et Nepotis vit. Attic cap. 3: „Unus *ante alios* carissimus."

Postremo Ciris vs 194:

Tu quoque avis metuere: *dabit* tibi filia *poenas*

comparatur cum Veıgilii Georg. I vs 405:

Et pro purpureo *poenas dat* Scylla capillo

cui addi potuisset Aen. IV: 386:

Dabis, improbe, poenas.

Sed rursus eodem sensu *dare poenas* jam Cicero dixit: de Harusp. responso c. 18, et Tuscul. Lib. V c. 19: alii, nec video quid Ciris locus perculiare in usu eius formulae habeat.

Neque minus a Baehrensio recedendum videtur continuo putante imitationem subesse, quoties eandem verborum copulationem inveniat. Persaepe enim ex rei tractatae cognatione explicandum est, duo scriptores eadem verba copulavisse. Per se ipsum hoc non satis est ad imitationem comprobandam. Aliter res se habet, si horum verborum unum saltem eodem sensu alibi non invenitur, aut verba indicata et eodem ordine posita sunt et eosdem versus pedes efficiunt, ut exempli gratia illa „*pocula Bacchi*" quae versu 229 memorantur. Quamquam enim haud nescio jam multo ante Ciris scriptoris aetatem Bacchum metonymice poni pro vino (cf. illud Terentianum, quod in proverbium abiit: „sine Cerere et Baccho friget Venus"), hic tamen Vergilii imitationem subesse puto, quod iisdem verbis, quae Vergilius Aen. III, 354 in fine posuit, Ciris auctor quoque versum clausit.

Eorum autem quae dixi Baehrens rationem non habendam putavit, cum Ciris vs 71.

Infelix Virgo, (quid enim commiserat illa?)

compararet cum Vergilii Ecl. VI, 47 et Calvi fragmento 9 (apud Muellerum), qui versus incipiunt verbis: *A virgo infelix.* Primum enim metro nequaquam postulabatur, ut poeta noster interjectionem *a* omitteret et verba inverso ordine poneret, et praeterea non video, cur ipse in eandem verborum copulationem incidere non potuerit,

quoniam verbum *infelix* pro *miser* de hominibus omni aetate usitatissimum sit. Eandem ob causam etiam nego Ciris vs. 119:

> *Responsum* quoniam satis est meminisse *deorum*

imitationem latere Vergilii Aen. IX : 134.

> Nil me fatalia terrent,
> Si qua Phryges prae se jactant, *responsa deorum*,

et Ciris vs. 323 *Scelus nefandum* desumptum esse ex Catulli carmine 64 : 396 „tellus *scelere* est imbuta *nefando*." *Responsum* enim pro oraculo jam occurrit apud Terentium (cf. Andr. 4, 2, 15: „Non Apollinis magis verum quam hoc responsumst.") et *Scelus nefandum* reperimus in Ciceronis de Haruspicum responso c. 20: „post, exercitu L. Luculli sollicitato, per nefandum scelus fugit illinc" etc.

Denique non possum adduci ut credam Ciris versu 526.

> *Saepe* deum *largo* decorarat munere sedes

imitationem subesse Vergilii Aen. X : 619.

> et tua *larga*
> *Saepe* manu multisque oneravit limina donis.

Magis credibile esse mihi videtur similitudinem ex rei tractatae cognatione manavisse. Miror quomodo haec omnia Baehrensium fugisse potuerint, praesertim cum aliis locis a L. Schwabio indicatis Catulli imitationem recte negaverit. Confer Ciris

Vs. 26	*prono-pondere*	cum Catulli carm	62 : 51	*prono-pondere*.
„ 78	*cupidos-amantes*	„ „ „	70 : 3	*cupido-amanti*.
„ 132	*cupidis-ocellis*	„ „ „	64 : 86	*cupido-lumine*.
„ 164	*rabidum-furorem*	„ „ „	63 : 38	*rabidus-furor*.
„ 209	*tacito-cubili*	„ „ „	6 : 7	*tacitum cubile*.

Sed haec hactenus. Nunc primum videamus de imitatione, quae maxime exstat atque eminet. Procul dubio haec Vergiliana est. Nec mirum; complures enim versus eosque continuos Ciris auctor ex Vergilii carminibus desumpsit. In his undecim numeramus, quos integros ex Eclogis, Georgicis et Aeneide in suum carmen transtulit:

Ciris	vs.	59, 60	=	Ecl.	VI: 75, 76.
„	„	403	=	Aen.	II: 406.
„	„	405, 406	=	Ecl.	VIII: 19, 20.
„	„	430	=	Ecl.	VIII: 41.
„	„	474	=	Aen.	III: 74.
„	„	538—541	=	Georg.	I: 406—409.

Porro ex Eclogis sex, ex Georgicis et Aeneide singulos versus mutuatus est, quorum nil nisi unum vel duo vocabula immutavit.

Confer	Ciris	vs.	51	cum	Ecl.	VI: 81.
	„	„	61	„	Ecl.	VI: 77.
	„	„	125	„	Ecl.	IV: 47.
	„	„	267	„	Ecl.	VIII: 60.
	„	„	302	„	Ecl.	VIII: 59.
	„	„	395	„	Georg.	IV: 389.
	„	„	398	„	Ecl.	IV: 49.
	„	„	402	„	Aen.	II: 405.

Quibus addendi sunt ex Georg. Lib. I vs 405 et Lib. III vs 21, quos versus paulo graviore mutatione refictos invenimus in Ciris carmine vs 52 et 148. Praeter hos multos quoque versus dimidiatos ex Vergilii carminibus a Ciris auctore assumptos esse, non minus

constat. In his sex numeramus, quos integros in suum carmen poeta inseruit, duodecim alios leviter mutatos recepit. Confer Ciris

Vs.	16	*longe lateque per orbem*	cum Verg.	Aen. VI : 378 *longe lateque per urbes.*
„	49	*sublimis in aëre coetus*	„ „	Georg. I : 404 *sublimis in aëre Nisus.*
„	96	*suave rubens narcissus*	„ „	Ecl. III : 63 *suave rubens hyacinthus.*
„	160	*depromens tela pharetra*	„ „	Aen. V : 501 *depromunt tela pharetris.*
„	208	*studio iactabat inani*	„ „	Ecl. II : 5.
„	243	*possim cognoscere signo*	„ „	Georg. I : 394 *poteris cognoscere signis.*
„	291	*tam duros passa labores*	„ „	Aen. VI : 437 *et duros perferre labores.*
„	295	*mei spes una sepulchri*	„ „	Aen. XII : 57 *spes tu nunc una senectae.*
„	315	*saepe tuo dulci*	„ „	Aen. XII : 802.
„	349	*diem mortalibus almum*	„ „	Aen. V : 64.
„	370	*herbas contundit olentis*	„ „	Ecl. II : 11.
„	371	*triplici diversa colore*	„ „	Ecl. VIII : 73.
„	373	*numero deus impare gaudet*	„ „	Ecl. VIII : 75.
„	394	*magnum quae piscibus aequor*	„ „	Georg. IV : 388 *magnum qui piscibus aequor.*

Vs.	437	*Omnia vicit amor*	cum Verg.	Ecl. X:69 *omnia vincit amor.*
„	451	*immania corpora ponti*	„ „	Aen. III : 427 *immani corpore pistrix.*
„	470	*Iam procul e fluctu*	„ „	Aen. III : 554 *Tum procul e fluctu.*
„	532	*odium crudele parentis*	„ „	Aen. I : 361 *odium crudele tyranni.*

Porro notandum est poetam praecipue in finibus versuum pangendis Vergilium secutum esse. Nolo intelligi poetam complures versus clausisse vocabulo, quod Vergilius quoque in fine posuit, sed nonnullas duorum aut trium vocabulorum clausulas integras aut paene integras apud Vergilium reperiri, quarum omnino quindecim exempla in carmine exstant. Confer Ciris

Vs.	4	*complectitur umbra*	cum Verg.	Aen. I:694.	
„	7	*sidera mundi*	„ „	Aen. IX:93.	
„	29	*ordine pugnae*	„ „	Aen. I:456 *ordine pugnas.*	
„	50	*aethera pinna*	„ „	Georg. I:406 Aen. XI:272	*aethera pinnis.*
„	164	*ossa furorem*	„ „	Aen. IV:101.	
„	179	*pectine telae*	„ „	Aen. VII:14 Georg. I:294	*pectine telas.*
„	196	*lucosque sonantes*	„ „	Georg. IV:364. Ecl. X:58.	
„	211	*aëra captat*	„ „	Aen. III:514.	
„	229	*pocula Bacchi*	„ „	Aen. III:354.	

Vs. 263	*pietatis imago*	Verg. cum	Aen.	VI:405.
			Aen.	XI:294.
			Aen.	X:824.
„ 268	*assidet hostis*	„ „	Aen.	XI:304.
„ 288	*te propter eundem*	„ „	Aen.	IV:321.
„ 307	*in vertice montis*	„ „	Aen.	XI:526.
„ 318	*fata reservant*	„ „	Aen.	VIII:575.
„ 435	*corpore nymphae*	„ „	Aen.	I:71.

Exempla versuum verbis a Vergilio desumptis incipientium rariora sunt. Haec tantum in carmine reperiuntur:

Ciris vs. 19	*Non equidem*	=	Aen.	IV : 330.
„ „ 161	*Heu nimium certo nimium*	=	Aen.	XI : 841 *heu nimium, virgo, nimium.*
„ „ 206	*Iamque adeo*	=	Aen.	II : 567.
„ „ 220	*Quam simul*	=	Aen.	IV : 90.
„ „ 257	*Illa autem quid me*	=	Aen.	X : 878.
„ „ 266	*Dicam equidem*	=	Aen.	VI : 722.
„ „ 268	*Ille, vides*	=	Aen.	VI : 760.
„ „ 378	*Verum ubi nulla*	=	Georg.	IV : 443.
			Aen.	III : 670.
„ „ 394 / 397	*Illam etiam*	=	Ecl.	X : 13.

Transeo ad Catulli imitationem. Hujus poetae noster nulla carmina nisi 61—68, 76 et 101 expressit. Longe plurima ex carmine 64 mutuatus est. Nam inter quadraginta quinque locos, qui Catulli imitationem prae se ferre videntur, viginti sex sunt, qui in epithalamio reperiuntur. Quantum haec imitatio Catulliana differat a Vergiliana, L. Schwabe hac arguta comparatione

explicare conatus est: »Si opus poeticum cum textrino comparare licet, quae Catullo . . . . Ciris poeta debet, ea quasi *stamen* efficiunt, cui *subtemen* maxime Vergilianum insertum est". [1]) Ac sane rem acu tetigit. Nam imitatio Vergiliana, ut vidimus, eo continetur, quod poeta aliquot versus et sententias Vergilianas in suum carmen inseruit, imitatio Catulliana contra, quamquam minus aperta, multo latius patet. Jam carminis nostri exordium exemplum exstans nobis praebet:

Etsi me vario iactatum laudis amore
Irritaque expertum fallacis praemia vulgi
Cecropius suavis exspirans hortulus auras
Florentis viridi sophiae complectitur umbra,
Iamque mea ratione indignumst quaerere carmen,
Longe aliud studium atque alios quae accincta labores
Altius ad magni suspexit sidera mundi
Et placitum paucis ausa est ascendere collem,
Non tamen absistam coeptum detexere munus,
In quo iure meas utinam requiescere musas
Et leviter blandum liceat deponere amorem.

Poeta enim hic non solum aliquot verba ex Catulli carminibus in suum carmen transtulit: ut vs 3 *suavis exspirans* auras = Cat. 64, 87 *suavis exspirans* odores; vs 7 *magni suspexit* sidera *mundi* = Cat. 66, 1: *magni dispexit* lumina *mundi;* vs 11 *deponere amorem* = Cat. 76, 13: difficilest longum subito *deponere amorem*, sed etiam periodi structuram conformavit ad Catulli carmen 65 : 1 sqq:

[1]) Cf. L. Schwabii in Cirin carmen Observationum partis I pag. 3 Pars altera deest.

Etsi me assiduo confectum cura dolore
Sevocat a doctis, Ortale, virginibus,
Nec potis est dulces Musarum expromere fetus
Mens animi, (tantis fluctuat ipsa malis:
Namque mei nuper Lethaeo gurgite fratris
Pallidulum manans adluit unda pedem,
Troia Rhoeteo quem subter litore tellus
Ereptum nostris obterit ex oculis),

Sed tamen in tantis maeroribus, Ortale, mitto
Haec expressa tibi carmina Battiadae, eqs.

Uterque enim auctor in protasi, quae ab iisdem fere verbis incipit (cf. *Etsi me iactatum* = *Etsi me confectum*), amico causas exponit, quae promissorum carminum confectioni obstabant, et in apodosi eodem modo conformata (cf. Ciris vs 9 *non tamen* = Cat. vs 15 *sed tamen*) Catullus dicit se nihilo secius carmina promissa mittere, auctor noster se non omissurum esse carmen olim coeptum conficere.

Si Schwabio fidem habemus, Ciris versu 6 vocabulum *quae*, quod Puetzius post v. *alios* inseruit, rejiciendum est et „Ciris vs 6—9 parenthesis circulis ex orationis contextu excludendi sunt, plane eodem modo quo in loco Catulliano versus 4 sqq. parenthesin efficiunt". Sed is in imitationibus rimandis hic non minus modum excessisse mihi videtur, quam cum, ratus Ciris versu 5 imitationem latere Catulli carminis versus 3, Hauptii emendationem approbaret: „*Nec mea quit ratio dignum sibi quaerere carmen*". Idem peccavit Baehrens, cum eandem ob causam, partim H. Keilium secutus, scriberet: „*Tum mens quaerit eo dignum sibi promere*

carmen", quod durum atque jejunum est. Ejusmodi loco contenti esse debemus, si sententiam propemodum indicare possumus; itaque Ribbeck vero proximus esse mihi videtur scribens, ut supra versum laudavimus: "*Iamque mea ratione indignumst quaerere carmen*" versuque proximo vocabulum *quae* retinens. Exemplum, quod attuli, rationis a Ciris auctore in Catullo imitando observatae neque unicum neque exstantissimum est. Nempe negari non potest poetam totum Ciris carmen ita composuisse, "ut alterum quasi Epithalamium Catulli nobis in manus tradatur". [1]) Primum autem facile agnoscitur episodium, quo poeta Ciris peplum Panathenaicum describat (cf. vs 22—35), omnino exaratum esse ad similitudinum illius Catulliani, quo illa stragula Ariadnae fatis insignis depingatur. (Vide carmen 64: 50—264). Quin etiam eodem fere modo, quo auctor Ciris vs 36 (*Tali te vellem, juvenum doctissime, ritu* etc.) ad propositum revertitur, Catullus unde digressus est, redit vs 265 (*Talibus amplicife vestis decorata figuris*). Cum illa Catulliana narratione de Ariadnae fatis nostra fabula de Scylla mirum quantum congruit. Utraque puella viri peregrini amore permota patrem prodit et postea a viro amato deseritur. Neque solum utriusque fabulae historia sed etiam modus, quo uterque poeta fabulam suam tractavit, magnam similitudinem habet. Cum poeta Ciris tradidit Scyllam Minoem prospicientem amore exardescere, facere non potest, quin episodium de Amoris potentia inserat, plane ut Catullus

---

1) Cf. Sillig. Vol. IV pag. 156 editionis Vergilii Heinianae quartae.

fecit cum narravisset, quomodo Ariadna Thesei amore caperetur (cf. Ciris vs 133—138 cum Cat. 64 : 95—98). Amoris in Scylla effectus iisdem fere verbis describitur, quibus Catullus Ariadnae post Theseum profectum solitudinem adumbravit (Vide Ciris vs 167—170 et Cat. 64 : 63—67). Carme easdem fere partes agit, quas Catullus Aegeo assignavit et Scyllae lamenta respondent querelis, quas Catullus Ariadnam loquentem facit. Ut Scylla queritur se tumulo privari (vide vs. 441 *„me ne illa quidem communis alumnam Omnibus iniecta tellus tumulabit harena*) ita plane Ariadna (vs 153: *„neque iniecta tumulabor mortua terra*".) Utraque puella indignatur, quod sibi non liceat saltem in servitium duci (cf. Ciris vs 443—446 cum Cat. 64: 160—164), et sicut Scyllam suum fatum questam tandem vires deficiunt, ita a fesso corpore Ariadnae sensus decedunt, cum justam multam Theseo imprecata est (cf. Ciris vs 458 cum Cat. 64 : 189 sqq). Porro videmus Nereides Ciris versu 391 Scyllam navi alligatam admirari ut Catulli in Carmine vs 15 navem Argo. Denique observandum est nostro in carmine saepius easdem sententias reperiri, quae in illo epithalamio Catulliano exstant, quod apparet, si e. g. conferas Ciris versum 3 supra laudatum cum Cat. 64 : 87. (Vide pag. 37). Tum

Vs. 206	*devinctus lumina somno*	cum	Cat. 64 : 122 *devinctam lumine somno.*
„ 219	*promittens munera divis*	„	Cat. 64 : 103 *munuscula divis Promittens.*
„ 241	*animi– amore*	„	Cat. 64 : 372 *animi amores.*

Vs. 366 *victima ferro*	cum Cat. 64:369 *victima ferro.*
„ 399 *niveos virginis artus*	„ Cat. 64:364 *niveos virginis artus.*
„ 414 *foedere coniunx*	„ Cat. 64:373 *coniunx—foedere.*

Praeter haec permulta alia Catullianae imitationis vestigia in Ciris carmine adsunt. Longum est haec omnia proferre. Quae tamen in sermone ipso hac in re memoratu digna sunt, non alienum esse videbitur hic afferre.

Primum deminutivorum usus frequens Catulli imitationem prodit. His enim verborum formis Catullum delectari, M. Hauptius libri sui „Observationes criticae" inscripti pag. 14 dilucide ostendit, omnia adjectiva deminutiva, quibus Catullus usus est, enumerans. Catullo autem Ciris auctor vs 251 et 348 adjectivum *frigidulus* et vs 440 substantivum *lectulus* debet atque ad horum similitudinem vs 3 substantivum *hortulus* et vs 182 adjectivum *tabidulus* formavit. Deminutivum *ocellus*, quod noster vs 138, 238, 348 usurpavit, quamquam septies apud Catullum legitur, tamen hujus peculiare non est. Praeterea reperimus in Ciri, exceptis illis usitatissimis *puella*, *capillus*, *labellum* aliis, deminutiva *parvulus* vs 138 et *nutricula* vs 257, 277. [1])

Deinde vs 33 *prius* dictum est pro *olim*, *pridem* ut in Catulli carmine 4, 25 et 51, 15.

Porro poeta vs 177 vocabulo *nulla* aperte ita usus

[1]) Cf. L. Schwabe ll. pag. 7.

est ut pro adverbio negandi substitutum cum verbo arc tissime jungeret, qua quoque in re apertus imitator Catulli est. Ut enim recte M. Haupt pag. 3—6 „Observationum criticarum" monuit, Catullus illud dicendi genus quod ab omni graviore oratione alienum est, in carmine 8 : 14 usurpavit, quod amat populari dictione uti.

Tum, ut in Ciri vs. 242 Venus alicujus dicitur *rudis* *(non est Amathusia nostri Tam rudis)* ita in Catulli carmine 68 : 17 legimus eandem deam nesciam esse alicujus *(non est dea nescia nostri, Quae dulcem curis miscet amaritiam)*, quamquam usitatius est inverso modo, ut vir juvenis vel puella *rudis* dicatur: ut Propertius III (IV) 17, 7 sq.

> Te quoque enim non esse rudem testatur in astris
> Lyncibus ad caelum vecta Ariadna tuis. [1])

Postremo rem luculenter demonstrat nimius usus versuum spondiacorum, de quibus operae pretium esse videbitur pluribus verbis disserere. Alexandrinos poetas iis versibus ut ornamento quodam usos esse, quod lepidi et venusti ipsis esse viderentur, nemo ignorat. Qua de re locus classicus est fragmentum XXVII Euphorionis Chalcidensis, ubi tres deinceps versus spondiazontes inveniuntur [2]). Hanc spondiacorum captationem inter poetas Latinos maxime Catullus in epithalamio imitatus

---

1) Cf. A. G. Naekii Carmina Valerii Catonis pag. 237. Bonnae 1847

2) *Ἀκτῆς δὲ παροίτερα* (Herm. pro *Ἀδίης δὲ παυροτέρα*) *φωνηθείσης,*
οἱ μὲν δὴ ἐνέπουσιν καὶ Ἀσίδα κικλήσκεσθαι,
οἱ δὲ Ποσειδάωνος ἐπώνυμον αὐδηθῆναι.

est. Is enim hoc in poemate, quod versus continet 408, triginta habet ejusmodi versus [1]), ut quartus decimus quisque versus sit spondiacus [2]). Semel etiam tres deinceps versus spondiace clausit [3]), dum alibi ne duo quidem spondiaci sese excipientes apud Latinos inveniuntur. Auctor noster numerum spondiacorum Catullianum maxime omnium aequavit. Nam apud eum tricesimus sextus quisque versus spondeum in quinto pede habet, quoniam inter quingentos quadraginta unum versus quindecim numeramus, vs: 73, 82, 96, 113, 158, 239, 326, 398, 413, 434, 474, 486, 495, 519, 535.

Catullus ut primus spondiacis pro ornamento usus est, ita primus in deliciis habuit nomina propria Graeca in fine collocare. Istas quoque delicias poeta Ciris tam cupide arripuit, ut inter quindecim spondiacos novem nominibus propriis Graecis clauserit; bis habet *Amphitrites* vs. 73, 486, praeterea *Caeratea* vs. 113, *Adrastea* vs. 239, *Ilithyiae* vs. 326, *Hellespontus* vs 413, *Aegaeo* vs. 474, *Oriona* vs. 535 et *rubens narcissus* vs. 96.

Demonstravit Viertel p. 808 longe plurimos versus

---

[1]) Carm. 64 vs 3, 11, 15, 24, 28, 36, 44, 67, 71, 74, 78, 79 80, 83, 91, 96, 98, 108, 252, 255, 258, 269, 274, 277, 286, 290, 291, 297, 301, 358.

[2]) Cf. L. Mueller: de re metrica, pag. 142 sqq. et imprimis Antonius Viertel in Jahnii Annal. Philol. LXXXV (1862) pag. 801 sqq, cujus dissertationi praeclarae maxima ex parte debeo, quae hac de quaestione a me disputata sunt.

[3]) Cf. vs. 78 sqq.

Electos iuvenes simul et decus innuptarum
Cecropiam solitam esse dapem dare Minotauro.
Quis angusta malis cum moenia vexarentur, etc.

hexametros ita esse compositos, ut aut duo dactyli aut tres insint. Post Ennium exemplum versus spondeis solis constantis non invenitur praeter Catulli carminis 116 vs. 3:

Qui te lenirem nobis neu conarere. [1])

Rari sunt ii versus, in quibus unus dactylus inest, isque quartum plerumque pedem efficit. Catullus hac quoque in re plurima sibi sumens eos frequentissime adhibuit. Sexies unum dactylum admisit in quarto pede [2]) et in primo pede ter. [3]) In Ciri inveniuntur vs. 96: *Dependent flores aut suave rubens narcissus* et vs. 413: *Qua curvus terras amplectitur Hellespontus*.

Altera regula in spondiaco versu exstat, ut in fine non collocaretur vocabulum nisi quod aut quatuor aut tribus constaret syllabis. Sunt autem, qui tantum tetrasyllaba in fine posuerint ut Cicero, Horatius, Propertius alii. Qui trisyllabis usi sunt multo rarius trisyllaba in fine posuerunt quam tetrasyllaba. Catullus rursus hoc pro rata parte maxime fecit, dum Ciris auctor eum maxime omnium aequavit Is enim in saepius laudato carmine 64 sex habet ejus modi versus [4]) quorum auctor Ciris quinque exempla habet vs. 82: *pertimuit latratus*, 96 *suave rubens narcissus*, 474 *Neptuno Aegaeo*, 519 *litoribus desertis*.

---

[1]) Cf. Luc. Mueller: de re metrica, pag. 141.

[2]) Cf. Carmen 64:74, 255, 258, 286, 297; Carm. 65:23.

[3]) Cf. Carmen 64:3, 44; Carm. 68:87.

[4]) Carmen 64:44, 74, 96, 252, 291, 297, praeterea in Carmine 65 vs 23 et in Carmine 66 vs 57.

Quamquam non plane ad imitationem Catullianam pertinentia, tamen hoc loco mihi addenda videntur haec. In eligendis vocabulis iis, quae spondeum quinti pedis antecedunt, „post Catullum is usus invaluit, ne tetrasyllabum praecederent vocabula, nisi quae pyrrhichium aut dactylum aut ionicum a majore aut pedem hujus mensurae ◡◡—◡◡ efficerent, trisyllabum nisi quae essent choriambica aut choriambo una vel duabus moris longiora" (cf. Viertel p. 810.) Ultimo excepto, horum omnium in Ciri exempla exstant. Ante tetrasyllabum posita est vox pyrrhichiaca quater, vs. 239 *sinat Adrastea,* 398 *Jovis incrementum*, vs 486 *pecus Amphitrites*, 535 *fugat Oriona;* vox dactylica ter: vs 113 *flumina Caeratea,* vs 326 *lumina et Ilithyiae*, vs 495 *undique mutabantur;* vox ionico a majore constans semel, vs 413 *amplectitur Hellespontus;* vox, quae pedem efficit hunc ◡◡—◡◡ semel, vs 73 *violaverat Amphitritae.* Trisyllabo vero vox choriambica praeposita est bis: vs 82 *pertimuit latratus* et vs 519 *litoribus desertis.* Pauca sunt, quae ab eo usu recedant. Ad Catulli exemplar auctor noster ante tetrasyllabum monosyllabum posuit vs 158 *ad ulciscendum.* Vocabulum molossicum trisyllabo praemisit versu Vergiliano 474 *Nereidum matri et Neptuno Aegaeo*, iambicum vs 96 *rubens narcissus* ut Verg. Aen. VIII: 402 et IX: 9.

Sed jam ad id, unde digressi sumus, revertamur. Non a Vergilio Catulloque solum noster sua mutuatus est, sed aliorum quoque poetarum Latinorum imitationis rara quidem sed manifesta tamen vestigia in carmine exstant. Eodem autem jure, quo Ciris vs. 7:

Altius ad magni suspexit sidera mundi

imitationem Catulli 66 : 1 et Aen. IX, 63 comprobavimus (cf. pag. 37), putare licet poetam hic secutum esse Lucret. V. 1204

Nam cum suspicimus magni caelestia mundi
Templa.

Porro dubitandum non est, quin Ciris vs 14—17 supra laudati omnino exarati sint ad similitudinem Lucretii II 7 sqq.

Sed nil dulcius est bene quam munita tenere
Edita doctrina sapientum templa serena,
Despicere unde queas alios passimque videre
Errare atque viam palantis quaerere vitae.

Denique negare non poteris poetam praeterea aliquot formulas dicendi ab eodem sumpsisse, si compares Ciris

vs.	9 *coeptum detexere munus*	et	Lucr. I : 418 *coeptum pertexere dictis.*
„	142 *et extra procedit longe etc.*	„	Lucr. I : 72 sq. *et extra processit longe etc.*
„	169 *pedibus Sicyonia servans*	„	Lucr. IV : 1125 *et pulcra in pedibus Sicyonia rident.*
„	363 *et divum terret formidine cives*	„	Lucr. VI : 52 *formidine divum.*

Calvus poetae procul dubio ante oculos fuit vs 233. Ut enim hoc loco *requiescunt flumina cursus*, sic in Calvi fragmento 13 apud L. Muellerum *Sol meminit requiescere cursus.* Similiter in verbis Ciris vs 350 *ignem quatiebat ab Oeta*, Calvi fragmenti 5 imitationem agnos-

cere licet, ubi Baehrens *Oeta* pro *ante* reponens recte scripsit: *Hesperium Oeta jubar quatiens.* Cf. Cat. LXII: 7, 20, 26.

Apertam Cinnae imitationem redolet Ciris versus 46:

> Accipe dona meo multum vigilata labore.

Nam in Cinnae fragmento III apud Muellerum legimus:

> Haec tibi Arateis multum vigilata lucernis
> Carmina etc.

Ab eodem noster vs 254 vocem *tabis* sumpsit, si quidem Charisii de Cinna testimonio fidem habere audemus. Is enim pag. 73 dicit: »Cinna autem in Zmyrna hujus *tabis* dixit nullo auctore", et pag. 118: »huius *tabis* Cinna in Zmyrna dixit, nullo ante se usus auctore." Ubi poeta de Lucifero loquens nos docet ei sideri noctu nomen Hespero esse (cf. vs 351 sq.: *Quem pavidae alternis fugitant optantque puellae, Hesperium vitant, optant ardescere Eoum*) nil novi affert. Idem enim in animo habuit Cinna in Zmyrna (cf. fragm. 8 apud L. M.):

> Te matutinus flentem conspexit Eous
> Et flentem paulo vidit post Hesperus idem,

et Catullus in carm. 62 vs 34 sq:

> Nocte latent fures, quos idem saepe revertens,
> Hespere mutato comprendis nomine Eous.

Confer praeterea Callimachi Hecal. fr. 52:

> *αὐτὸν μὲν φιλέουσ', αὐτὸν δέ τε πεφρίκασιν.*
> *Ἑσπέριον στυγέουσιν, ἀτὰρ φιλέουσιν Ἑῷον.*

Haec aperta poetarum Latinorum imitatio non obstat, quominus auctor noster poetam Graecum ante oculos habere potuerit, quod mihi constat diversos ob causas. Primum enim hoc prodit explicatio etymologica nominis Ciris vs. 488 data. Coniunx Neptunia, ut poeta narrat, Scyllam squamis vestire

> Non statuit (nimium est avidum pecus Amphitrites);
> Aëriis potius sublimem sustulit alis,
> Esset ut in terris facti de nomine ciris.

Ergo quod patris comam detonderat, ἀπὸ τοῦ κείρειν Scylla in avem Cirin mutata est. Ex Graeci auctoris imitatione etiam explicandum est, quod vs. 88 nomen Palaephati commemoratur passimque vocabula Graeca inveniuntur, veluti *sophia* (vs. 4, 40), *peplus* (vs 21, 30) *psalteria* (vs. 178), *glaucus* (vs. 395, 452) et *nymphae* pro *virgines* (vs. 434). Porro jam Heynius recte monuit ad verbum e Graeco expressum videri versum 113:

> Carpathium fugiens et flumina Caeratea

cui plane respondet:

> *Καρπάθιον λείπων καὶ νάματα Καιράτεια.*

Quis non cum eodem ex *gelidis Edonum Bistonis oris* (vs. 165) facile agnoscat Graecum: *Ἠδώνων νιφόεντα κατ' οὔρεα Βιστονίς.* Nec minus recte idem vestigia Graecae imitationis vidit vs. 92 ubi *mittere cantus* dictum est ut Graecum *ἱέναι φωνήν, ἀοιδήν,* vs. 169 ubi *Sicyonia* Graeco *τὰ Σικυώνια ὑποδήματα* respondet et vs. 215 ubi *umbras caeruleas* expressum est ad Graecum *νύκτα κυανέην, κυανέαν ὄρφναν.* Pallori, quem Horatius (Epod. 10 : 16) *luteum*

et Ovidius (Metam. IV, 267) *luridum* nominavere, vs. 225 epitheton *viridis* datur, ut auctores Graeci χλωρὸς pro ὠχρὸς ponere solent. Jure Sillig hisce addit vs. 252 *in tenui steterat succincta crocota,* putans nostrum apud Graecum, quem imitabatur, poetam invenisse ἔστη ἐν κροκωτῷ et versum 106, ubi optimis libris H. R. ductus *Alcathoae* pro *Alcathoi* recte reposuit. Cetera autem exempla, quae affert, nullius pretii sunt. Nam versum 136 perperam interpretatus est, *vires tigris* Graeco illo σθένος Ἡρακλέους illustrans et versu 173 non vidit *causam facere* i. e. *causari* non Graeco λόγον ποιεῖν sed προσποιεῖσθαι respondere. Quod de versibus 327, 484 dixit, ex corrupto textu profluxit, quem viri docti postea sanaverunt. Praeterea exstat atque eminet, quanto studio poeta noster ubique declinatione Graeca utatur, quae, etiamsi ab aliis poetis adhibeatur, tamen multo rarius apud eos occurrit quam apud nostrum. Cujus rei exempla habes hisce in versibus: 58 *Ulixi*, 66 *Crataein*, 112 *Polyidos* et 473 *Delos*, 463 *Isthmon* et 476 *Paron*, 468 *Piraeea* et 535 *Oriona*, quam ob rem vs. 106 Sillig, ut supra jam dixi, *Alcathoae*, vs. 204 Haupt *Haliaeetos* et Baehrens vs. 396 *Leucothoe* recte scripserunt, egoque vs. 475 *Cythnon* et 477 *Seriphon* legere malim.

Quae cum ita sint, nemo erit, qui dubitet, quin poeta ille unus e grege Alexandrinorum poetarum fuerit. Hoc enim apparet et ex argumenti, quod tractandum sibi sumpserit, natura et ex modo, quo hanc fabulam versibus exposuit.

Quod ut liquidius ostendam, pauca hic de Alexan-

drinae poesis indole praemittam. Quae autem hujus poesis natura fuerit, quid proprium et quasi peculiare habuerit, aliquot carmina Catulli ejusque aequalium docere possunt. Ii enim poetae, qui quod poesis Latinae antiquioris praecepta neglegebant *οἱ νεώτεροι* vel *poetae novi* nominabantur [1]), tantum studium ad Alexandrinos imitandos contulerunt, ut „a Cicerone nomine *cantorum Euphorionis* inrisi sint et *doctorum* nomine ab aliis significarentur". [2]) Nemo certe negabit tam Catulli carmina 63, 64, 66 quam Calvi Io, Cinnae Zmyrnam, Cornificii Glaucum atque Catonis Dictynnam certissima Alexandrinorum imitationis vestigia prae se ferre. Hisce autem ex carminibus primum discimus poetas Alexandrinos aut *ἱστορίας ξένας καὶ ἀτρίπτους* tractasse [3]) aut si argumentum jam tritum tractandum sibi elegerant, id, ne peritis taedium moverent, novo modo persequi et ostentatione doctrinae vitam, ut ita dicam, novam addere conatos esse. [4])

---

[1]) Cf. Cicero ad Att. VII, 2: „flavit ab Epiro lenissimus Onchesmites"; hunc *σπονδειάζοντα* si cui voles *τῶν νεωτέρων* pro tuo vendita. Orat. 48, 161: ea offensio quam nunc fugiunt poetae novi.

[2]) Cf. L. Schwabe: Prolegomena ad Catullum pag. 312.

[3]) Cf. Artemidori Onirocr. IV: 63: *εἰσὶ γὰρ καὶ παρὰ Λυκόφρονι ἐν τῇ Ἀλεξάνδρᾳ καὶ παρὰ Ἡρακλείδῃ τῷ Ποντικῷ ἐν ταῖς Λέσχαις, καὶ παρὰ Παρθενίῳ ἐν Ἐλεγείαις, καὶ παρὰ ἄλλοις πολλοῖς ἱστορίαι ξέναι καὶ ἄτριπτοι.*

[4]) Cf. Herzberg in prooemio suae Ciris versionis pag. 56: „Die alexandrinischen Dichter wussten die an sich natürliche und gerechte Forderung der Neuheit dem encyclopädischen Wissen ihrer gebildeten Leser gegenüber nicht anders zu befriedigen als indem sie durch eine Fülle von Anspielungen einen bunten Bilderkreis rasch an ihnen vorüberführten, der durch die Reminiscenzen einer umfassenden Lectüre,

Elegia autem illa Catulliana de coma Berenices, quam omnes consentiunt esse Callimachi poema in sermonem Latinum conversum, exemplum insigne *ἱστορίας ξένης καὶ ἀτρίπτου* praebet. Poeta enim comam inducit suam ipsius historiam narrantem, quam Hyginus Poeticon Astron. II : 24 his verbis bene reddit: „Cum Ptolemaeus (Euergetes) Berenicen Ptolemaei et Arsinoes filiam sororem suam duxisset uxorem et paucis post diebus Asiam oppugnatum profectus esset, vovit Berenice, si victor Ptolemaeus rediisset, se detonsuram crinem; quo voto damnatum crinem in Veneris Arsinoes Zephyritidis posuit templo, isque postero die non comparuit; quod factum cum rex aegre ferret, Conon (Samius) mathematicus cupiens inire gratiam regis dixit crinem inter sidera videri collocatum, et quasdam vacuas a figura stellas ostendit (ad caudam Leonis in triangulo collocatas), quas esse fingeret crinem".

Non opus esse mihi videtur plura exempla fabularum

---

aber fast noch mehr durch die überall sich darbietende Verkörperung des Mythus in den Schöpfungen der plastischen Kunst, eine lebendigere Färbung empfieng und die Phantasie in einer beständig gereizten unruhigen Thätigkeit erhielt. So todt wie sie uns jetzt erscheint war demnach diese Gelehrsamkeit nicht, aber ihre Belebung war immer eine künstlich forcierte, nicht unmittelbar, sondern durch die dritte Hand aus der Natur empfangen. Gegen jenen Hauptzweck der Neuheit trat jede andere Forderung zurück. Eine Sage einfach zu erzählen musste als langweilig verpönt sein, da sie oft genug vorher gehört war. Dunkelheit hingegen, durch Beziehung auf entlegnere Mythen, erschien als nichts weniger denn fehlerhaft. Sie fügte für den Halbunterrichteten den Reiz des Räthselhaften hinzu und schmeichelte der Eitelkeit des Besserwissenden und Eingeweihten".

abditarum afferre; satis erit memorare argumenta carminis de Attine Catulli et aliorum, quae ejus aequales de more Alexandrinorum fecisse supra diximus, ex eodem recondito penu mythorum ducta esse.

Notandum est nostrum carmen argumento quoque prodi tamquam germanum Alexandrinae scholae fetum. Praeterquam enim quod Scyllae fabula Alexandrinis poetis in deliciis fuisse videtur — hoc autem probabile reddit Cornificii Glaucus, quod carmen, si saltem fata Glauci Pontii continuit, ad idem fabularum genus pertinuit; — ubique exstat, quanto amore poeta fabularum obscurarum mentionem faciat. Sic Myrrhae sive Zmyrnae incestus amor, quem Cinna in carmine ejusdem tituli descripsit vs 237 sqq. his verbis memoratur:

Ei mihi, ne furor ille tuos invaserit artus,
Ille, Arabae Myrrhae quondam qui cepit ocellos,
Ut scelere infando (quod ne sinat Adrastea)
Laedere utrumque uno studeas errore parentem!

Sic poeta manifesta cum delectatione per viginti versus (286—305) immoratur exponendis Britomartis fatis obscuris, quorum in enarratione etiam Callimachus hymn. in Dianam vs. 189 sqq. sibi placuit, et quod sane notandum est, uterque scriptor narrat Britomartin de monte *Dicte* desiluisse in mare. [1]) Etenim virginem apud nostrum a Dicte monte in mare se praecipitasse,

---

[1]) Apud Callimachum l.l. legimus:

καὶ ἔνθορεν εἰς ἁλιήων
δίκτυα, τά σφ᾽ ἐσάωσαν· ὅθεν μετέπειτα Κύδωνες
νύμφην μὲν Δίκτυνναν, ὄρος δ᾽ ὅθεν ἥλατο νύμφη
Δικταῖον καλέουσιν.

(non a Dictynnaeo, ut Heyne in Comment. ad Ciris vs. 219, 285 putat, si quidem hic diversus ab eo monte est) probabile mihi videtur, respicienti Ciris vs. 300 „*Dictaeas* ageres ad gramina nota capellas". Nempe verisimile non est poetam de Britomarti loquentem adjectivo *Dictaeas* pro *Cretenses* usum esse.

Hoc loco quaestio oritur, num forte Catonis Dictynna quoque haec Britomartis fata continuerit. Quonam autem argumento hoc poema fuerit, memoriae non proditum est. Naeke (Carm. Val. Catonis p. 272) suspicatur „Catonem eo carmine tum alia recondita de Diana, tum hoc persecutum esse accuratissime, eandem esse Dianam et Dictynnam." Haec autem sententia quodammodo quidem stabilitur testimonio Suetonii de gramm. p. 109 R „Dianae Cinna (sc. meminit): „Saecula permaneat nostri *Diana* Catonis", sed ibi, ut Naeke ipse recte monuit, Casaubonus rectissime *Dictynna* scribi jussit ex libro Patavino. Numquam enim librarius exquisitum *Dictynna* pro vulgari *Diana* repositurus fuisset." Quae cum ita sint et praeterea Britomartis fabula, ut videri-

---

Strabo (X: 4, 12) hunc locum respiciens dicit:
Οὐκ εὖ δὲ οὐδὲ τὸν Καλλίμαχον λέγειν φασίν, ὡς ἡ Βριτόμαρτις, φεύγουσα τὴν Μίνω βίαν, ἀπὸ τῆς Δίκτης ἅλοιτο εἰς ἁλιέων δίκτυα, καὶ διὰ τοῦτο αὐτὴ μὲν Δίκτυννα ὑπὸ τῶν Κυδωνιατῶν προσαγορευθείη, Δίκτη δὲ τὸ ὄρος· οὐδὲ γὰρ ὅλως ἐκ γειτόνων ἐστὶ τοῖς τόποις τούτοις ἡ Κυδωνία, πρὸς δὲ τοῖς ἑσπερίοις κεῖται τῆς νήσου πέρασι. Τῆς μέντοι Κυδωνίας ὄρος ἐστὶ Τίτυρος, ἐν ᾧ ἱερόν ἐστιν, οὐ Δικταῖον, ἀλλὰ Δικτύνναιον. Sed illi Callimachi reprehensores non viderunt Cretenses in universum apud Callimachum saepius *Κύδωνας* vocari. Cf. Hymn. in Jov. 45, hymn. in Dianam 81.

mus, alumnis scholae Alexandrinae carissima fuerit, probabilius mihi videtur quod Naeke p. 273 suspicatus est, mox tamen reprobavit, Ciris auctorem Catonem respexisse, cum vs. 304 sq. de Britomarti scriberet:

alii, quo notior esses
Dictynnam dixere tuo de nomine lunam,

itaque carmen illud Catonianum Britomartis fata continuisse.

Sed jam ad propositum revertamur et videamus quomodo poetae Alexandrini argumentum ab aliis poetis saepius pertractatum persequi soliti fuerint. Hoc autem epithalamium illud Catullianum nos docere potest.

Ne fabulae non nesciis taedium moveat, poeta breviter exponit, quae summi momenti res sunt avideque occasiones variae eruditionis ostentandae sibi oblatas arripiens ingrata orationis copia utitur tum, ubi minime exspectes. Huc refero eam apostrophen, in qua poeta facere non potuit, quin Heroum genus celebret (vs. 22—30) illudque episodium versuum amplius ducentorum, quod stragulae Ariadnae fatis insignis descriptionem continet (vs. 50—264)', quo ipso in excursu poeta rursus a via deflectit, cum vs. 94—100 Amoris potentiam pingere studet. Ex eodem doctrinae ostentandae studio obscuritas illa profluxit, cujus hoc poema haud rara exempla praebet. Hinc e. gr. vs. 228 *incola sancti Itoni* pro *Athene*, vs. 290 *lenta soror flammati Phaethontis* pro *populus*, vs. 300 *unigena cultrix montibus Idri* pro *Artemis*, vs. 346 *periuri Pelopis tertius heres* pro *Agamemnon*, vs. 367 *urbis Dardaniae Neptunia*

vincla pro *moenia Trojae*, vs. 395 *rapidi Tritonis hera* pro *Athene* et *Rhamnusia virgo* pro *Nemesis* dictum est. Hinc carmine 66, ut ab hoc quoque poemate nonnulla exempla mutuer, vs. 44 Helios: *progenies Thiae clara*, vs. 52 sqq. zephyrus, Arsinoes Zephyritidis famulus: *Memnonis Aethiopis unigena* (i. e. cum eo ex Aurora natus) *Arsinoes Locridis ales equus* nominatur. [1])

Etiam sermone ipso poetae Alexandrini facile agnoscuntur. Amant enim plus justo figuras rhetoricas. Illi autem, quos vocant, flosculi rhetorici, quamquam rari et cum judicio adhibiti orationi decus quoddam addere solent, nimio usu non parum frigent. Et Alexandrini hac in re modum non servarunt. Quod ut dilucide appareat, diversas, quae in laudatis Catulli carminibus occurrunt, figuras rhetoricas ordine afferam.

Primum huc refero, quamquam hujus figurae hisce in carminibus rarior usus est, justo frequentiorem parenthesium usum. Exempla tamen non plane desunt, cf. carm. 64, vs. 108 sq et carm. 66 vs. 71—74.

Deinde huc pertinent interjectiones crebriores mediae orationi interpositae, cujus rei exempla haec inveniuntur.

---

[1]) Auctorem hic Emathionem dicere, statuit Ellis secundum Apollod. III: 12, 4: *Τιθωνὸν μὲν οὖν Ἠὼς ἁρπάσασα δι᾽ ἔρωτα εἰς Αἰθιοπίαν κομίζει κἀκεῖ συνελθοῦσα γεννᾷ παῖδας Ἠμαθίωνα καὶ Μέμνονα.* Cf. ejus „Comment. ad Catullum" pag. 304 ubi hunc locum afferens adnotat: „Emathion is connected with Arabia (Apollod. II: 5, 11) and seems etymologically to be derived from *ἄμαθος*, „he of the sand". a name which would well describe an ostrich". Sed poetam struthiocamelum dicere non potuisse docet vs. 55: *Isque per aetherias me tollens avolat umbras.*

Interjectionem *o* quinquies (carm. 64 vs. 22, 23, 323; carm. 66 vs. 39, 87), *a* quater (carm. 64 vs. 71, 135, 178; carm. 66 vs. 85) inseruit, praeterea carmine 64 *eheu* (vs. 64), *heu* (vs. 94), *vae* (vs. 196), et *euhoe* (vs. 255) adhibens.

Huc referas etiam metonymiarum usum liberiorem, quarum, ut illas apud alios quoque usitatissimas veluti *pinus* pro *nave*, *lux* pro *die*, *Indus dens* pro *ebore* alia omittam, hae rariores memoratu dignae sunt: carm. 64 vs. 3 *Argivae robora pubis* pro *robusti Argivi juvenes* vs. 9 *currus* pro *navis*, vs. 162 *candida vestigia* pro *candidi pedes*, vs. 226 *incendia nostrae mentis*, vs. 232 *nec ulla oblitteret aetas* pro *nec tu ulla aetate oblitteres.*

Porro rhetoricam scholam redolent eae dicendi figurae, quae in repetitione verborum versantur. Huc imprimis duo genera pertinere puto, anadiplosin, quae est continua ejusdem vocis, aut uno vel pluribus verbis interjectis, repetitio in eadem sententia, et anaphoram, quae est repetitio singulorum verborum ab initio duarum pluriumve deinceps sententiarum. Prioris generis exempla habes in carm. 64: vs 24 *vos*, vs. 61 *prospicit*, vs. 68 *neque tum*, vs. 70 *toto*, vs. 132 *perfide*, vs. 143 *iam*, vs. 195 *huc*, vs. 274 *magis*, vs. 285 *Tempe*, vs. 321 *carmine*, in carm. 66: vs. 39 *invita*, vs. 75 *afore me*, vs. 87 *semper.*

Anaphorae exempla haec exstant, carm. 64: vs. 19 sqq. *tum*, vs. 23 sq. *salvete*, vs. 28 sq. *tene*, vs. 39 sqq. *non*, vs. 63 sqq. *non*, vs. 146 *nil*, vs. 186 sq. *nulla* et *omnia*, vs. 215 sqq. *gnate*, vs. 256 sqq. *pars*, vs. 312 sq. *tum*, vs. 328 sq. *adveniet*, vs. 334 sq. *nullus* et *talis*, vs. 336

qualis; carm 66: vs. 1 sq. *qui*, vs 3 sqq. *ut*, vs. 27 sq. *quo.*

Denique rhetorem sapiunt assonantiae illae, quibus praesertim carmen 64 refertum est. Ut paucis pro millibus defungar exemplis, conferas vs. 28 *Tene Thetis tenuit* etc., vs. 92 *quam cuncto concepit corpore flammam*, vs. 101 *cum saevom cupiens contra contendere monstrum*, vs. 188 *languescent lumina morte*, vs. 194 *frons exspirantis praeportat pectoris iras*, vs. 309 *Annoso niveae residebant vertice vittae*, alia.

Alexandrini aevi poetas versuum spondiacorum captatione insignes fuisse, interque poetas Latinos maxime Catullum in epithalamio hos versus admisisse, jam supra pag. 42 sqq. pluribus verbis exposui.

Haec autem omnia plane in Cirin cadunt, ut deinceps demonstrabo.

Etiam auctor noster narrationem mythicam satis cognitam tractandam sibi sumens complures res maximi momenti paucissimis absolvit. Expectares, ut recte Chr. G. Heyne jam monuit pag. 129, „in primo Minois conspectu, in pactione cum eo sancienda, in coma Nisi resecanda, tradenda, et fide Minois ex condicione pactionis exigenda, poetam disertum, copiosum et ornatum". Sed „vix verbo memoravit haec omnia", cf. vs. 132, 172 sq., vs. 187, vs. 387—389, vs. 414. Contra complures alii loci sunt, ubi ingrata copia atque abundantia usus est, aut orationes plane rhetoricas fingens (vide colloquium Scyllae cum nutrice vs. 286—339 et virginis querellas vs. 404—458) aut rarioris doctrinae emblematis orationem perpolire studens. Talium autem digressio-

nùm e doctrinae jactatione natarum exempla haud pauca adsunt. Sic justo latius digressus est, cum necopinato vs. 22 sqq. descriptionem pepli Panathenaici quatuordecim versus occupantem insereret. Hinc, Scyllae Homericae mentionem faciens, per versus amplius vigenti (vs. 65—88) immoratur varias Mythologorum de Scylla opiniones exponendo, in quibus distinguendis ita versatur, ut Scholiastarum copias in versus redegisse videatur [1]). Musas invocans descriptionem sacrorum supprimere non potest. (vs. 94—98).

Megarae situm indicaturus (vs. 101), cui rei quatuor versus impenduntur, facere non potest, quin fabulam urbis conditae abstrusam his verbis addat:

Stat Megara, Argei quondam munita labore
Alcathoae Phoebique: deus namque affuit illi;
Unde etiam citharae voces imitatus acutas
Saepe lapis recrepat Cyllenia murmura pulsus
Et veterem sonitu Phoebi testatur amorem.

Carme, Scyllae nutrix, miseram sortem filiae Britomartis deplorans, lectorum animos movet exclamando: utinam ne venatum iisses ac greges pavisses, tum

Numquam tam obnixe fugiens Minois amores
Praeceps aerii specula de montis iisses (vs. 302),

sed quam a matris lamentis alienum est additamentum:

Unde alii fugisse ferunt et numen Aphaeae
Virginis assignant, alii, quo notior esses,
Dictynnam dixere tuo de nomine lunam.

---

[1]) Cf. quae hac de re Cap. II pag. 9 sqq. a me dicta sunt.

Cum Scylla, resecta patris coma et Megara capta, ex navis latere alligata per mare trahitur, non solum complures illam nymphae mirantur in undis (vs. 391) sed etiam pater Oceanus, candida Tethys (vs. 392), Nereides (vs. 393), Leucothoe parvusque Palaemon (vs. 396) et Tyndaridae (vs. 399). Et quem non offendunt geographicae eruditionis copiae in carmine extremo?

Hoc autem doctrinae ostentandae studium in nostro quoque auctore saepius causam obscuritatis fuisse, facile est probatu. Quis enim (ut illa etiam apud alios usitatissima veluti *Cecropius hortulus* (vs. 3), *Dulichiae rates* (vs. 60), *Maeoniae chartae* (vs. 62), *Pandioniae sedes* (vs. 100), *Actaei colles* (vs. 102), *Rhamnusia* (vs. 228), *Adrastea* (vs. 239), *Amathusia* (vs. 242) alia omittam) verborum sententiam primo adspectu percipere potest, cum vs. 15 *Sapientia Quattuor antiquis heredibus edita consors* dicitur. Idem illud tenebricosum reperitur vs. 108 ubi *Cyllenia murmura* pro lyra a Mercurio inventa, vs. 200 ubi *puellae Dauliades* pro Procne et Philomela adhibentur.

Quantopere oratio ubique flosculis rhetoricis variegata sit, paucis verbis dici non potest. Multo magis quam Catullus ll. auctor Ciris in parenthesibus adhibendis et interjectionibus inserendis modum excessit. Prioris generis exempla exstant hisce in versibus: 6—8, 13, 19 sq, 55, 71—76, 81 sq, 161, 187, 188 sq, 221 sq, 227, 228, 239, 242 sq, 270, 280, 288, 334, 352, 364, 380, 405, 410, 486, 524 sqq.

Interjectiones quam frequenter mediae orationi interposuerit, unicuique statim in oculos incurrit. Inter-

jectione *o* terdecies utitur (153, 195, 199, 202, 224, 278, 286, 287, 295, 314, 404, 410, 424) *heu* octies (vs. 81, 82, 132 [1]), 161, 190, 264, 360, 469) *age* et *a* bis (vs. 98, 234 et vs. 185, 228), et semel *hei* vs. 237, *io* vs. 257, *ecce* vs. 500.

Metonymiarum usus nullis fere finibus circumscriptus est; cf. vs. 3 *aura* pro *odor*, vs. 26 *currus* pro *navis*, vs. 41 *pagina* pro *opus*, vs. 41 *senes saecla* pro *sera saecla*, vs. 50 *tecta* pro *domus*, vs. 62 *Maeoniae chartae* pro *carmina Homerica*, vs. 88 *docta papyrus* pro *doctum opus*, vs. 108 *Cyllenia murmura* pro *lyra a Mercurio inventa*, vs. 110 *arma* et vs. 118 *Mars* pro *bellum*, vs. 131 *sepulchrum* pro *perditor*, vs. 215 *umbrae* pro *nox*, vs. 229 *Bacchus* pro *vinum*, vs. 230 *Cereris fetus* pro *panis*, vs. 269 *honor sceptri* pro *regnum*, vs. 287 *nostra senecta* pro *ego anus*, vs. 396 et 417 *luces* pro *dies* et multa alia.

Anadiplosis porro aut anaphorae pro versuum numero exempla permulta inveniuntur. Iis per singulos paene versus poeta utitur, imprimis particulas vel pronomina duplicans. Anadiplosis exempla, quae in Ciri exstant, haec sunt: vs. 12 sq. *mirificum*, vs. 27 sq. *felix*, vs. 52 sq. *pro*, vs. 130 sq. *Scylla*, vs. 161 *nimium*, vs. 196 *quae*, vs. 198 sq. *vos*, 237 *ille*, vs. 262 sq. *nil*, vs. 291 *tam*, vs. 295 sq. *te*, vs. 313 sq. *tene*, vs. 335 sqq. *tum potius*, vs. 372 sq. *ter despue*, vs. 402 sq. *lumina*, vs. 407 sq. *vos*, 428 sq. *tene ego*, vs. 443 sq. *mene inter*, vs. 471 sq. *hinc*.

[1]) Hoc versu *heu* pro *o* legendum esse recte vidit Maehly, cf. infra Cap. IV.

Nec pauciora anaphorae exempla inveniuntur, cf. vs. 18 sq. *non*, vs. 35 sq. *tale*, vs. 42 sq. *nunc primum*, vs. 135 sqq. *illo etiam*, vs. 146 sq. *necdum*, vs. 168 sqq. *non*, vs. 172 sqq. *saepe*, vs. 178 sq. *non*, vs. 183 *quo*, vs. 358 sqq. *nunc*, vs. 387 sqq. *tum*, vs. 391 sq. *mirantur*, vs. 394 sqq. *ille etiam*, vs. 411 sqq. *illa ego sum*, vs. 416 sq. *vincta*, vs. 430 *ut*, vs. 433 sqq. *me non*, vs. 495 *undique mutabunt*, vs. 524 sqq. *saepe*.

Assonantiis denique Ciris tot abundat, ut ex sexcentis exemplis pauca eligere cogar. Quae maxime notanda haec sunt: vs. 26 *Et prono gravidum provexit pondere currum*, vs. 205 *Candido concessos ascendit Ciris honores*, vs. 209 *Cum furtim tacito descendens Scylla cubili*, vs. 305 *Dictynnam dixere tuo de nomine lunam*, vs. 345 *mulcens praecordia palmis*, vs. 382 *Purpureumque parat rursus tondere capillum*, vs. 477 *Aeginamque simul serpentiferamque Seriphum*.

Adde huc quod, ut supra pag. 43 jam monuimus, excepto epithalamio illo Catulliano nullo in carmine Latino pro versuum numero tot versus spondiaci reperiuntur et concedes verisimillimum esse auctorem nostrum Alexandrini poetae carmen imitatione expressisse.

Nunc vero quaestio oritur, quisnam ille poeta Alexandrinus fuerit, ad cujus exemplar Ciris composita sit. Priusquam autem haec uberius expono, pauca de carminis auctore Latino dicam. Etenim quamquam Ciris vulgo Vergilio adscribitur, minime silentio premendum est, eruditos hac de re non consentire, aliis alium pro auctore habentibus.

Magna ingenii subtilitate Schrader (Lib. Emend. pag. 31 sqq.) Cirin a Vergilio compositam indicare conatus est ejusque judicio complures viri doctissimi subscripserunt, ex. gr. Valckenaer Diatribe de fragm. Eurip. pag. 160: „Si Ciris est Vergilii, quod erudite probabile reddidit Clar. Joh. Schraderus, etc." et alii. Cornelio Gallo alii Cirin vindicaverunt, cujus sententiae defensores acerrimi habendi sunt Heyne (cf. Edit. Verg. IV pag. 130) et J. H. Voss. ad Verg. Ecl. VI 74 pag. 328 sqq. Tertia sententia est Eglini, qui carmen nostrum a Catullo compositum vult, cf. Vindiciae Ciris Catullianae pag. 17—21.

Multum absum ab eo consilio, ut omnes eorum eruditorum rationes, quibus singulas sententias affirmare conati sunt, amplectar et diluam. Cui cupido incessit haec accuratius cognoscendi, ille videat doctissimam Silligii refutationem in Vergilii editione Heyniana quarta Vol IV pag. 135 sqq. Summatim tamen exponam, quid de re judicem.

Vergilium Aeneide publicata Cirin composuisse, non possum adduci ut credam. Poeta enim, qui Aeneidem scripserit neque tam leve carmen componere neque se ipsum tam inepte compilare potest. Nec minus incredibile puto Vergilium juvenem Cirin edidisse. Primum enim carmen nostrum ab Eclogarum colore valde differt et praeterea iis in carminibus nulla Catullianae imitationis vestigia reperiuntur.

Cornelio Gallo quominus poema nostrum vindicemus, una obstat res gravissima, quod Gallus jam a 728 a. n. c. de vita decessit, quo tempore Aeneis, cujus nullum

non librum poeta Ciris expilavit, nondum perfecta erat. Fortasse nunc aliquis crediderit non Gallum ex Vergilii carminibus sed Vergilium sui amici venerandi causa ex Ciri tot versus descripsisse. Sed primum hoc credere ea, quae modo de Vergilio carminis auctore attuli, non patiuntur et praeterea parum credibile est Vergilium, ut Galli existimationem prae se ferret, leve illud carmen, quod Gallus juvenis fecisset (cf. Ciris vs. 44 sq), in omnibus suis carminibus tam anxie expressisse.

Eglini sententia, unius viri, quod sciam, qui Catullo Cirin tribuit, omni fundamento destituta est, ut luce clarius apparet ex iis, quae Schrader pag. 46 sqq. exposuit.

Praeter hos iisdem fere temporibus jam fuerunt, qui ignoto poetae Cirin tribuere satius duxerint, quam sententiam Sillig. pag. 153 tam probabilem reddidit, ut nunc omnes eruditi ei assentiantur. Ac sane rem in medio relinquere optimum erit. Verum enim carminis auctorem Latinum eruere frustra conaberis, quod testimonia ac documenta satis valida deficiunt. Hoc tantum cum aliqua probabilitate statui posse videtur, poetam fuisse unum ex illa docta cohorte, cujus orator nobilissimus M. Valerius Messalla Corvinus elegans ac doctus patronus et Tibullus omnium maxime eximius poeta fuerint. Haec enim sententia eo probatur, quod poeta carmen suum Messallae juvenum doctissimo (cf. vs. 54, 36) dedicavit.

Quo sub nomine Messalla tamen non intellegendus est orator ille, quem modo diximus, sed filius ejus, cui cognomen Messalino erat, consuli anni 751 u. c. (cf. Teuffel in Pauly Real Encycl. VI 2 pag. 2657.) Etenim

Corvinus ille anno 735, ante quem carmen nostrum compositum esse non potest (ut paulo post uberius exponetur), quadraginta quinque annos natus erat [1]), unde sequitur non licere talem hominem juvenum doctissimum appellare.

Filius ejus contra, (ut Ribbeck Append. Verg. pag. 16 sq. paucis verbis perdocte exposuit), „cum anno 727 puer fuisse videatur (Tibullus enim in elegia I, 7 hoc anno scripta vs. 55 optat patri ut „succrescat proles, quae facta parentis augeat et circa stet veneranda senem" cf. Borghesi opp. numism. I p. 413.) cumque anno 729 vel 730 decemvir factus (cf. Tibulli II 5) adolescens octodecim fere annorum probabiliter statuatur a Lachmanno, jam paucis annis post juvenis satis recte appellabatur" [2]).

Minus incerta quam nomen Ciris auctoris, est aetas, qua vixit. Etenim quamquam despero accurate posse statui quo anno Cirin scripserit, hoc tamen constat carmen neque ante annum 735 u. c. neque longe ultra Augusti aetatem componi potuisse. Cirin non scriptam esse ante annum 735 u. c. eo sequitur, quod tum Vergilius mortuus est nosterque poeta totam Aeneidem post Vergilii obitum demum editam (cf. Donati

---

[1]) Cf. J. M. J. Valeton: M. Valerius Messalla Corvinus, Gron. 1874 p. 9 sqq, ubi ex Ovid. ex Ponto I, 7, 27, Frontino de Aquaeduct. 99 et Hieronymo ad a Abr. 2027 demonstratur Messallam Corvinum natum esse anno 64 a C., mortuum anno 9 p C. Cf. Teuffel Röm Lit [3] § 222: 1, Pauly Real. Encycl. VI 2 pag. 2352 sq. not.

[2]) Cf. Pauly Real Encycl. VI 2 pag. 2355 sq. N° 100 et Teuffel Röm Lit [3] § 267, 6.

Vita Verg. apud Reifferscheidium: Suetoni Reliquiae, pag. 64) novit. Quodsi ex sex prioribus Aeneidis libris tantum sua mutuatus esset, Ciris fortasse jam, ut Ribbeck ll. putat, anno 731 vel 732 scripta esse posset; etenim, teste Donato in Vita Verg. apud Reiff. pag. 61, Vergilius „multo post (annum 729 quo Augustus forte expeditione Cantabrica aberat) huic, perfecta demum materia, tres omnino libros recitavit, secundum, quartum et sextum". Posteriores autem sex Aeneidos libros ante Vergilii obitum nemo novisse videtur ac tamen ex iis quoque noster multa sumpsit. Quod, ut liquidius appareat, exemplis evincetur, quae nullum dubitationi locum relinquunt. Praeter locos jam supra pag. 34, 35, 36 allatos (sc. Ciris vs. 295, 315, 7, 121, 268, 307, 318, 161, 257) huc pertinere puto Ciris

Vs. 115	*sternebat rura sagitta*	collatum cum	Aen. IX: 666 *sternitur omne solum telis.*
„ 122	*surgebat vertice crinis*	„ „	Aen. X: 187 *surgunt de vertice pinnae.*
„ 138	*acuebat parvulus iras*	„ „	Aen. XII: 590 *acuunt stridoribus iras.*
„ 228	*quod ut a! potius*	„ „	Aen. X: 631 *quod ut o potius.*
„ 247	*digna atque indigna*	„ „	Aen. IX: 595 *digna atque indigna* cf. XII: 811.
„ 279	*casusve deusve*	„ „	Aen. IX: 211 et XII: 321 *casusve deusve.*

Vs. 367 *auctoribus extis*	collatum cum	Aen. X : 67 *fatis auctoribus.*
„ 518 *solis in rupibus exegit aevum*	„ „	Aen. X : 569 *solis exegit montibus aevum.*

Carmen nostrum porro longe ultra Augusti aetatem ortum esse non posse, eo efficitur, quod versus spondiaci, quos noster, ut supra pag. 43 vidimus, haud raro admittit, aetate Persii (34—62 p. Chr. n.) in usu esse desierant. Lucanus quidem, ut G. Christ me docuit [1]), quinto hexametri loco spondeum habet sed raro, Persius nusquam nisi in prima satura vs. 95, ubi poeta non tumorem solum dictionis sed etiam spondiacos poetarum doctorum irrisurus eum, qui tota satura vulgarium poetarum causam agit, hunc versum proferre curavit:

Sic „costam longo subduximus Apennino".

Alterum hujus sententiae argumentum imitatio Catulliana praebet. Recte enim L. Mueller de re metrica pag. 42 monuit, poetas certatim omni tempore Catulli hendecasyllabos et iambos admiratos imitatosque esse, sed neminem post Augusti aetatem fuisse, qui Catulli elegias et epyllion de Peleo et Thetide sectatus fuerit. Quae cum ita sint, patet opinor, Cirin neque ante annum 735 u. c. neque longe ultra Augusti aetatem scribi potuisse. Ceterum si conjectura uti licet, nihil, quod videam, obstat, quominus sive cum Teuffelio (cf. Pauly Real. Encl. VI, 2, p. 2657) intra annos 19—14

[1]) Cf. Metrik der Griechen und Römer p. 177.

a. Chr. sive cum Baehrensio (cf. Poetae Lat. Min. p. 32) intra annos 18—16 a Chr. carminis compositionem statuamus.

Jam vero ad cujus poetae Alexandrini exemplar Ciris composita sit, disquirendum est.

Alexandrini aevi poetarum duo tantum, quod nobis compertum est, Scyllae fabulam narraverunt, Callimachus et Parthenius quidam.

Callimachum eandem fabulam tractasse apparet ex fragm. inc. 184, quod legitur apud Etym. Magn. 819, 4 et apud Suidam in voce *ψύδος*:

> *Σκύλλα γυνὴ κατακᾶσα, καὶ οὐ ψύθος οὔνομ' ἔχουσα.*

Callimachum ergo Graecum carmen composuisse putares idque eo magis, quod in Ciri locus est, qui hanc sententiam comprobare videtur.

Quod enim poeta noster vs. 351 sq. de Hespero dicit:

> Quem pavidae alternis fugitant optantque puellae
> Hesperium vitant, optant ardescere Eoum

in Callimachi Hecale (fragm. LII) iisdem fere verbis reperitur:

> *Αὐτὸν μὲν φιλέουσ', αὐτὸν δέ τε πεφρίκασιν.*
> *Ἑσπέριον στυγέουσιν, ἀτὰρ φιλέουσιν Ἑῷον.*

Perincommode tamen accidit, quod utrumque fragmentum non eodem ex carmine desumptum est. Illud enim fragmentum incertum 184 ex Aetiis neque ex Hecale ductum esse (ut Toup Emend. III p. 116 et

Naeke Dissert. de Hecale cap. II p. 548 judicaverunt) satis constat ex Martialis Epigr. X, 4:

Qui legis Oedipoden caligantemque Thyesten,
Colchidas et Scyllas, quid nisi monstra legis?
. . . .
Sed non vis, Mamurra tuos cognoscere mores
Nec te scire: legas Aetia Callimachi.

Cujus rei rationem habens parum probabile duco Callimachum exemplar Graecum composuisse, cum praesertim sententia quae invenitur vs. 351 (*Hesperium vitant* —) auctori Ciris non tantum cum Callimacho sed etiam cum aliis poetis communis sit: Catullo 62. 35, Cinnae fragm. Zmyrnae, 8 Luc. Muell. Contra verum Graecum auctorem Chr. G. Heyne (Edit. Vergil. vol. IV, pag. 162) eruisse mihi videtur, suspicans eum Parthenium fuisse, cujus mentionem facit Eustathius ad Dionysii Perieg. 420. Ibi autem haec traduntur: *Μίνως λαβὼν τὰ Μέγαρα διὰ Σκύλλης τῆς Νίσου θυγατρὸς ἐρασθείσης αὐτοῦ καὶ ἀποταμούσης τὴν τοῦ πατρὸς κεφαλήν, ἐνενοήσατο ὅτι ἡ τὸν πατέρα προδοῦσα οὐδενὸς ἂν ῥᾳδίως φείδοιτο, καὶ διὰ τοῦτο προσδήσας πηδαλίῳ νηὸς τὴν προδότιν καὶ πατροφόντιν ἀφῆκε σύρεσθαι διὰ θαλάσσης· καὶ αὐτὴ μὲν εἰς ὄρνεον μετεβλήθη, ὥς φησι Παρθένιος ὁ τὰς Μεταμορφώσεις γράψαι λεγόμενος, ὁ δὲ κόλπος* (Saronicum sinum dicit), *παραγραμματισθεὶς ἔσχε τὴν κλῆσιν ἀπὸ τοῦ σύρεσθαι.* Recte Meineke ad hunc locum adnotat Eustathium in illo *ἀποτεμούσης τὴν τοῦ πατρὸς κεφαλὴν* errare. Primum enim hoc, ut supra vidimus, alibi nusquam traditur et praeterea repugnat iis, quae in scholiis leguntur: *ὡς δὲ Παρθένιος ἐν ταῖς Μεταμορφώσεσιν λέγει, (ἐπειδὴ) Μίνως λαβὼν τὰ*

Μέγαρα διὰ τῆς Νίσου θυγατρός, ἐρασθείσης αὐτοῦ καὶ ἀποτεμούσης τῆς κεφαλῆς τοῦ πατρὸς τὸν μόρσιμον πλόκαμον καὶ οὕτως αὐτὸν προδούσης, ἐννοηθείς, ὡς ἡ πατέρα προδοῦσα οὐδενὸς ἄν ποτε ῥᾷστα (ποτ᾽ ἐρῶσα?) φείσαιτο, προσδήσας αὐτὴν πηδαλίῳ νεὼς εἴασεν (αὐτὴν) ἐπισύρεσθαι τῇ θαλάσσῃ, ὅθεν Σαρωνικὸς οὗτος ὁ πόντος ἐκλήθη, ὅτι εἰς ὄρνεον ἡ κόρη μετεβλήθη.

Quamquam valde dolendum est, quod verba Parthenii ipsius conferre nequimus, tamen jam his ex epitomis luce, ut ajunt, clarius apparet, Parthenium non modo eandem fabulam tractasse, sed etiam in summis cum poeta nostro plane congruere. Omnia enim, quae hic narrantur, reperiuntur in Ciri, excepta illa Saronici maris originatione *ἀπὸ τοῦ σύρεσθαι.*

Sententia illius *μόρσιμον πλόκαμον,* quod in scholiis exstat, reperitur in Ciri vs. 123—125:

Cuius (sc. crinis) quam servata diu natura fuisset,
Tam patriam incolumem Nisi regnumque futurum
Concordes stabili firmarant numine Parcae.

et vs. 131:

Scylla, patris miseri patriaeque inventa sepulchrum.

Mirari non licet, quod scholiastes majoris momenti duxit tradere hoc in capillo patriae salutem patrisque vitam positam fuisse quam quod crinis colorem purpureum commemoraret. Quod hoc et permulta alia, quae in Ciri traduntur, silentio hic praeterita sunt, ex epitomes indole explicandum esse censeo neque obstat, quominus Parthenius iis quoque in rebus cum Ciris auctore consentire potuerit.

Sed apertum non est, quem Parthenium intellegere

debeamus, cum quatuor scriptores nobis noti sint, quibus hoc nomen fuerit: [1])

Parthenius Nicaenus vel juxta alios Myrleanus, poeta illustris, qui bello Mithridatico tertio Romam adductus est. — Parthenius grammaticus, quem Neronis temporibus vixisse constat, cum Dionysii grammatici discipulus fuerit, quem Suidas sub Nerone floruisse dicit. — Parthenius Phocensis, qui, ut ex Stephano Byzantino v. *Δεκέντιοι* cognoscimus, saeculo quarto vixit. — Parthenius Chius, cognomine *Χαός*, qui, teste Suida, *Ὁμήρου (δὲ) ἦν ἀπόγονος* et de patre suo Thestore scripsit.

Quemnam Parthenium autem Eustathius Il. dicat, hujus rei facilis et prompta est responsio. Suidas enim sub voce *Νέστωρ* diserte dicit: *ἔγραψε δὲ Μεταμορφώσεις, ὥσπερ καὶ Παρθένιος ὁ Νικαιεύς.* [2]) Quam praeclare Heynii conjectura hoc Suidae testimonio confirmatur! Nemo enim Alexandrinus apud poetas Latinos tantam auctoritatem habuit, quanta Parthenio Nicaeno fuit. Ut autem appareat, quantum ille Romae auctoritate potuerit, mihi liceat rem altius repetere atque enarrare, quae de eo cognita sint. Haec maxima ex parte Suidae debemus. Is autem nos docet Parthenium nostrum ex Heraclide et Eudora sive, ut Hermippus putaret, Theta natum esse. Ad patriam quod attinet idem Nicaeam sive Myrleam dicit, quod Meineke Fragm. Alex. pag.

---

[1]) Cf. J. G. Vossii de Hist. Graecis Lit. II Cap. 1, Ed. Blaeu 1699 pag. 106.

Meineke Anal. Alex. pag. 255 sqq., pag. 293, 264 et 270.

[2]) Suidam idem de Parthenio Chio testari, errori imputandum est. Cf. Meineke Anal. Alex. p. 270.

256 ita explicat, ut Myrlea quidem oriundus esset sed natus fuerit Nicaeae. Porro Suidas eum *ἐλεγειοποιὸν καὶ μέτρων διαφόρων ποιητήν* appellat. Quod vero continuo addit: *οὗτος ἐλήφθη ὑπὸ Κίννα λάφυρον, ὅτε Μιθριδάτην Ῥωμαῖοι κατεπολέμησαν· εἶτα ἠφείθη διὰ τὴν παίδευσιν, καὶ ἐβίω μέχρι Τιβερίου τοῦ Καίσαρος*, id ex parte tantum verum est. Parthenium bello Mithridatico tertio a. 681 u. c, cum Nicaea expugnaretur, captum, deinde Romam adductum posteaque propter doctrinae praestantiam manumissum esse, satis quidem constare videtur, sed eum Cinnae in praedam cessisse, verum esse non potest, cum Cinna, ut ex Velleio Paterc. II, 24 cognoscimus, jam undecim annis ante Nicaeae expugnationem interfectus esset. [1])

Nihiloque verius esse videtur, quod Suidas scribit de Parthenii vitae spatio: *ἐβίω μέχρι Τιβερίου τοῦ Καίσαρος*. Fac enim Parthenium viginti annos natum fuisse cum caperetur, tum plus quam annos centum septem complevisset. Anni autem, qui intercedunt ab Nicaea expugnata usque ad imperium Tiberii octoginta septem sunt: 73 a Chr. n. — 14 p. Chr. n.

Utut res haec sese habet, Suidam, cum hoc scriberet, auctorem suum male intellexisse, potius credo quam ut cum G. J. Vossio et Meinekio rem obscuram conjecturis omni fundamento destitutis explanare coner.

Parthenii carminum Suidas praeter laudatas *Μεταμορφώσεις* haec tantum affert: *Ἀφροδίτην* (carmen a Stephano Byzantino quoque memoratum s. v. *Ἀκαμάντιον*), *Ἀρήτης*

---

[1]) Vide quae Meineke hac de re notavit Anal. Alex. pag. 256 sq.

ἐπικήδειον, τῆς γαμετῆς Ἀρήτης ἐγκώμιον. (sic enim Meineke verba Suidae rectius distinxit, non duo carmina ad Areten Parthenio tribuens) καὶ ἄλλα πολλά. Quae carmina sub „multis aliis" intellegere debeamus, mira sagacitate Meineke investigavit. [1])

Is autem huc refert: Ἐπικήδειον εἰς Αὐξίθεμιν (cf. Steph. Byz. s. v. Γαλλήσιον), Ἐπικήδειον εἰς Ἀρχελαΐδα (cf. Hephaest. de Syll. p. 9), Βίας (cf. Choeroboscus Bekkeri Anecd. p. 1383 et Schol. Venetus Hom. Il. IX 446), Δῆλος (cf. Steph. Byz. s. v. Ὤγενος ubi hoc carmen Parthenio Phocaeensi falso tribuitur, et praeterea s. vv. Βεληδόνιοι, Γρυνοί), Κριναγόρας (cf. Etym. Magn. p. 148, 33 in voce Ἄρπυς), Λευκαδίαι (cf. Steph. Byz. s. v. Ἰβηρίαι), Ἀνθίππη (cf. Steph. Byz. s. v. Κρανίδες), Εἰδωλοφανής (cf. Apollonius de Pron. p. 378[b]), Ἴφικλος (cf Steph. Byz. s. v. Ἀράφεια), Μυττωτός (ut non male Scaliger inscripsit Parthenii carmen, quod Vergilius in Moreto imitatus est), Προπεμπτικόν (cf. Steph. Byz. s. v. Κώρυκος), Ἡρακλῆς (cf. Etym. Magn. p. 170, 47 s. v. Αὐρόσχας, p. 374, 50 s. v. Ἐρίσχηλος, Steph. Byz. s. v. Ἴσσα et Οἰνώνη, Etym. Magn. p. 375, 33 s. v. Ἑρκύνιος δρυμός). Praeterea Parthenius oratione soluta librum Περὶ ἐρωτικῶν παθημάτων inscriptum composuit, de quo paulo post plura dicam.

Parthenii carmina maxima ex parte ad elegiacum genus pertinent et certis signis poesis Alexandrinae notata sunt. Propter studium obscurarum et reconditarum fabularum eum et Lycophronem et Heraclidem Ponticum una nominat Artemidorus Onirocr. IV, 63

---

[1]) Cf. Anal Alex. pag. 259 sqq.

(cf. supra pag. 50 not). Nec minus quam Lycophron quaesita quadam obscuritate laborat, quidquid Meineke Anal. Alex. pag. 258 ex contrario contendit. Huc non refero eum passim verbis a vulgari usu remotis usum esse. Hoc enim mirandum non est, quod sermonis Graeci pura facilitas perdita e veterum libris eruenda et denuo addiscenda erat. Sed voces vocumque formas rariores non nisi glossariorum auxilio intellegendas, quas justo plures comprehendimus, exprobro. His enim saepius obscurus est, ut e paucis, quae hodie leguntur, reliquiis dilucide apparet. Sic e. gr. *ἄννεμε*, ponitur pro *ἀνάγνωθι* fragm. I, *ἀμυσχρόν* pro *καθαρόν* fragm. III, *δέχνυσο* pro *δέχου* fragm. V, *Ἄρπυς* pro Amor fragm. X, *αὐρόσχαδα βότρυν* pro *ἄμπελον* fragm. XIX, *ἐρίσχηλος* pro *λοίδορος* fragm. XX, *Ἑρκυνὶς γαίη* pro Italia vel Hispania fragm. XXIII, *δρύψελα* pro *λέμμα, φλοιός* fragm. XXIX, *δείκελον* pro *δείκηλον* fragm. XXXI, *δροίτη* pro *σορός* fragm. XLVI. Atque obscuritatem illam non glossis solis imputandam esse, ex iisdem illis fragmentis XXIV et XXXII, quae Meineke affert, satis perspici potest. Tantum enim abest ut haec »naturae quadam simplicitate commendentur", ut ea plane fere careant.

Quod ut appareat, ambo haec fragmenta consideremus. In fragmento priore, quod hos versus continet,

Παρθένος, ἣ Κιλίκων εἶχεν ἀνακτορίην·
ἀγχίγαμος δ' ἔπελεν καθαρῷ δ' ἐπεμαίνετο Κύδνῳ
Κύπριδος ἐξ ἀδύτων πυρσὸν ἀναψαμένη,
εἰσόκε μιν Κύπρις πηγὴν θέτο, μῖξε δ' ἔρωτι
Κύδνου καὶ νύμφης ὑδατόεντα γάμον,

primum id parum simplex duco, quod poeta vs. 1, Cal-

limachi fragm. CCXVIII imitans, *ἀνακτορίην ἔχειν* pro *ἀνάσσειν*, vs. 2 *ἀγχίγαμος* pro *ὡραία γάμου*, vs. 4 *μιγνύναι ἔρωτι γάμον* pro *ποιεῖν γάμον* et vs. 5 *ὑδατόεις γάμος* pro conjugio cum flumine dixit. Huc accedit quod vs. 3, ut Mèineke ipse monuit, *πυρσὸν* figurate de amoris ardore intellegendum est, nisi cum eodem sine idonea causa conjiceres „Parthenium infelicem virginem Veneris sacerdotio fungentem finxisse." Prius autem si verum est, nemo, ut opinor, figuratae dictionis audaciam negabit.

Paulo minus quaesita obscuritate laborat fragmentum alterum, quod Narrat. Amat. C. XI ita legitur:

Ἡ δ' ὅτε δὴ ὀλοοῖο κασιγνήτου νόον ἔγνω,
κλαῖεν ἀηδονίδων θαμινώτερον, αἵτ' ἐνὶ βήσσῃς
Σιθονίῳ κούρῳ πέρι μυρίον αἰάζουσιν·
καί ῥα κατὰ στυφελοῖο σαρωνίδος αὐτίκα μίτρην
ἀψαμένη δειρὴν ἐνεθήκατο· ταὶ δ' ἐπ' ἐκείνῃ
βεύδεα παρθενικαὶ Μιλησίδες ἐρρήξαντο.

Primo enim aspectu in aperto non est auctorem vs. 3 Ityn dicere neque eum vs. 4 *σαρωνίς* pro *δρῦς* atque vs. 6 *βεύδεα* pro *ποικίλα ἢ πορφυρᾶ ἱμάτια* dixisse. Ac quem non offendit anfractus, quo oratio vs. 4 sq. est circumscripta? Quae cum omnia perpendo, prorsus non intellego, quomodo Meineke ejus dictionis rationem simplicem habere potuerit.

Haec fere sunt, quae auctores Graeci de Parthenio nostro tradiderunt. Poetam cum ingenio tum etiam doctrina excellentem, cum Romae degeret, virorum illustrium oculos ad se vertisse eorumque animos sibi conciliavisse, per se intelligitur. Quantam auctoritatem autem apud eos habuerit, facile apparebit, si

consideramus, quae scriptores Romani hac de re narraverunt. Tum videbimus Vergilium et Cornelium Gallum eum ipsum nosse eoque imitando cum Tiberio et fortasse cum Ovidio quoque certavisse.

Primum videamus de Vergilio. Quem, cum studiis Graecis deditus esset, Parthenium praeceptorem habuisse, cognoscimus ex Macrob. Saturn. V, 17 *versus est Parthenii, quo grammatico in Graecis Vergilius usus est* [1]). Quoquo modo statuitur, Meineke errat, putans Neapoli factum hoc esse circa 690 a. u. c., quod ibi eo tempore „Vergilium graecis latinisque literis operam dedisse affirmat Donatus Vita Verg. C 2". (Cf. Anal. Alex. p. 257). Quae quidem Meinekii sententia prorsus reprobanda est, quod vita Donati vulgata ll. interpolata est. Recte enim Augustus Reifferscheid libri sui „Suetoni Reliquiae" inscripti pag. 401 monuit [2]), notitiam de Vergili studiis mathematicis,

---

[1]) Haec Macrobii verba non omni dubitatione exemta esse, monuit Ribbeck: Vergili Opera, ed. min. pag. XII. Firmissimum hoc affert quod „haec ipsa *quo . . . usus est* et erasa sunt in Parisiensi P nec satis cum dicendi consuetudine Macrobiana videntur conciliari posse". Cum autem hoc postremem ex paucis hisce verbis difficile sit probatu, ut opinor, haec idoneam causam abjudicandi praebere mihi non videntur, praesertim cum cetera argumenta, quae Ribbeck affert, in utramque partem quadrent.

[2]) Cf. Ejusdem libri pag. 399 sqq., ubi exponitur, Donati vitam, quae hodie legatur, nulla codicis auctoritate niti ac putidissimis interpolationibus insignem esse; veram autem vitam primum e codicis sui (nunc Bernensis 172) fide dedisse P. Danielis meritum esse, culpam vero posterioris aetatis ad hunc purum fontem non rediisse, sed vulgatam vitam mira socordia propagasse. Talem vituperationem non cadere in J. Fr. Gronovium, qui in notis ad vitam a Burmanno

quae ex (genuina) vita Donati recepta sit (cf. Reiff. p. 58, vita vulg. c. 6), adhibitam esse ad Vergili magi personam inducendam". „In hujus adeo", ita pergit auctor, „propriam sedem ac domicilium, quae fuit Neapolis, poeta migrasse dicitur ab interpolatore, cum in genuina vita, quae cum excerptis apud Hieronymum (Ol. 181, 4) aperte congruit, Vergilius transiisse in urbem tradatur".[1]) Quae disciplina quatenus Vergilio conduxerit in carminibus componendis, videmus ex illo suavissimo idyllio, quod Moretum appellatur. Hoc enim poema a Vergilio scriptum atque imitationem esse Parthenii, certissima res est, si annotationi fidem habere audemus, quam G. J. Vossius narrat filium Isaacum, cum Italiam lustraret, in codice bibliothecae Ambrosianae ad hoc carmen adscriptam legisse: *Parthenius Moretum scripsit in Graeco, quem Vergilius imitatus est.* [2]) Et vere hanc librarii

---

editis vulgato exemplo spreto Danielinam vitam tantopere admiratus sit, ut Suetonium ejus auctorem adpellare non dubitaverit.

Tum certissimis argumentis demonstratur hanc Gronovii sententiam vero proximam esse; vitam enim illam Danielinam a Suetonio quidem scriptam esse, sed retractatam cura Aelii Donati Servio antiquioris.

[1]) Cf. Vergilii Vita de commentario Donati sublata apud Reiff. p. 55: „(sed Vergilius) Cremona Mediolanum et inde paulo post transiit in urbem."

Hieronymus Chron. Euseb. ad Ol. 181, 4.: „Vergilius sumta toga Mediolanum transgreditur: et post breve tempus Romam pergit".

Donatus Vita Vulgata § 7 sq.: „Sed Vergilius Cremona Mediolanum, et inde paulo post Neapolin transiit. Ubi cum literis et Graecis et Latinis vehementissimam operam dedisset, tandem omni cura omnique studio indulsit medicinae et mathematicae. Quibus rebus cum ante alios eruditior peritiorque esset, se in Urbem contulit", etc.

[2]) Cf. De poetis Graecis; Operum III p. 220, ed. Blaeu

adnotationem probabilem faciunt vestigia Graeci auctoris imitationis, quae in carmine non desunt[1]). Hauptium autem dicere se de illo codice Ambrosiano nihil compertum habere [2]), haud nescio, at contra, ut Ribbeck nobis tradidit, in Leidensi exemplari appendicis Vergilianae haec eadem legitur adnotatio, addito „*V. Amb*", manu Is. Vossii adscripta [3]).

Quod autem hujus carminis stilus longe alius est quam is, quo cetera Vergilii carmina notata sunt, ex idyllii diverso argumento atque indole explicandum est.

Requiretur fortasse nunc, quem ad modum probabile reddi possit Parthenium, cujus poesin quadam quaesita obscuritate insignem cognoverimus, cum Moretum tum Cirin Graece composuisse. Nec hoc sine causa quaeri videtur, quod utriusque carminis ratio plane diversa est. In Moreto autem nulla obscuritas, nulla doctrinae jactatio, nulla digressio, nulli flosculi rhetorici neque id genus alia propria Alexandrinis, quibus Ciris abundat. Immo in Moreto omnia adeo sunt lepide et suaviter dicta, ut ea ab elegiarum vel hymnorum scriptore Alexandrino desumpta credere non possimus.

Sed haec rerum repugnantia inde orta esse mihi videtur, quod Vergilius carminis rationem atque argumentum summatim a Parthenio sumens, id proprium sibi fecit atque in usum privatum convertit, Ciris auctor contra, quamquam et ille non verbum pro verbo necesse

---

1) Cf. W. Herzberg in adnotat. suae Moreti versionis ad vs. 4, 18, 116.

2) Cf. Quaestiones Catullianae p. 52.

3) Cf. Ribbeck: Appendix Verg. pag. 14.

habuit reddere, Graecum exemplum tamen putida imitatione expressit.

Non alienum hoc loco videbitur animadvertere Vergilium neque unicum neque primum fuisse, qui Moretum Latinum scripserit. Etenim apud Macrob. Sat. II: 14, 11, ubi de nuce mollusca sive persico agitur, legimus: „hujus rei idoneus assertor est Sueius[1]) vir longe doctissimus in idyllio quod inscribitur Moretum. Nam cum loquitur de hortulano faciente moretum, inter cetera quae eo mittit et hoc pomum mitti ait his verbis:

Admiscet bacam silicis; haec nunc ⏑⏑ — ⏑
— ⏑⏑ — ⏑⏑ — ⏑⏑ — ⏑⏑ — ⏑⏑ partim,
Partim Persica: quod nomen sic denique fertur,
Propterea quod, qui quondam cum rege potenti
Nomine Alexandro Magno fera proelia bello
In Persas tetulere, suo post inde reventu
Hoc genus arboris in praelatis finibus Graiis
Disseruere, novos fructus mortalibus dantes.
Mollusca haec nux est, ne quis forte inscius erret".

Hunc autem poetam ante Vergilium vixisse, patet ex Macrob. Sat. VI : 1, 37. 5, 15, ubi Sueius quoque memoratur inter veteres illos poetas, „quorum aurum (ut Ribbeck Appendix Verg. p. 15 eleganter dicit) Maro collegit, ut in suis carminibus exponeret". „Nec improbabile videtur", idem recte addit, „communem in hoc quidem argumento utriusque auctorem fuisse Parthenium, motum autem Sueii exemplo Vergilium periculum fecisse,

[1]) Sic enim pro *Suevius* scribendum esse ostendit L. Mueller Museum Rhen. XXIV p. 553 sq. Versus Suei dedimus ex ed. Muelleri, in Lucilii fragm. p. 312.

num eandem rem elegantius et pulchrius exornare posset".

Sed ut ad Vergilium revertar, non Moreto solo ejus Partheniana imitatio continetur. Praeterquam enim quod Aulus Gellius Noct. Att. IX : 9 Parthenium quoque nominat inter eos, quorum Vergilius scite et considerate locos effinxit, novimus hunc integrum ejus versum in Georgica recepisse.

Parthenii locum primus servavit Gellius Noct. Att. XIII 26: »Parthenii poetae versus est: *Γλαύκῳ καὶ Νηρεῖ καὶ εἰναλίῳ Μελικέρτῃ*. Eum versum Vergilius aemulatus est. Itaque fecit duobus vocabulis venuste immutatis parem: *Glauco et Panopeae et Inoo Melicertae*", (quem horridum versum legimus Georg. I, 437.) Sed minus recte. Verum enim legimus apud Macrobium Saturn. V, 17: »Versus est Parthenii, quo grammatico in Graecis Vergilius usus est, *Γλαύκῳ καὶ Νηρεῖ καὶ Ἰνώῳ Μελικέρτῃ.*" Pro *Νηρεῖ* Meineke recte *Νηρῆϊ* restituit ex epigrammate decimo quinto Luciani in Brunckii Anal. II p. 311, ubi legitur *Νηρῆι και Ἰνώῳ*. Cur Jacobitz in sua Luciani editione P. III p. 466 Epigr. 34: *Γλαύκῳ καὶ Νηρεῖ καὶ Ἰνοῖ καὶ Μελικέρτῃ* scripserit, non intellego.

Jam videamus de Cornelio Gallo. Ille poeta Foroiuliensis [1]) non solum (ut ex Diomede lib. III p. 482, 3, Servio ad Vergilii Ecl. VI, 72, Probo ad Verg. Ecl. X, 50 et Donato Vit. Verg. X: 38 discimus) Euphorionis carmina in sermonem Latinum transtulit ejusque in scribendo secutus colorem videtur, sed etiam Parthenii

[1]) Cf. Hieronyn. Chron. a. Abr. 1990 = 728 a. u. c.

carmina imitatus esse dicitur (cf. Voelcker: de Corn. Galli vita et scriptis P. II p. 15 sqq.).

Hoc saltem constat Parthenium ei fuisse amicissimum eique composuisse librum, qui *Περὶ ἐρωτικῶν παθημάτων* inscriptus narrationes amatorias continet, quas auctor ex historicis et poetis quam brevissime collegit, ut Gallus et fabulas, quas nonnulli poetae extremis, ut dicitur, digitis attigerunt, melius intellegeret et quae earum maxime sibi placerent, carminibus heroicis et elegiacis insereret. Haec enim omnia discimus ex verbis, quibus auctor hunc librum Gallo dedicavit:

Παρθένιος Κορνηλίῳ Γάλλῳ χαίρειν. Μάλιστα σοι δοχῶν ἁρμόττειν, Κορνήλιε Γάλλε, τὴν ἄθροισιν τῶν ἐρωτιχῶν παθημάτων, ἀναλεξάμενος ὡς ὅτι μάλιστα ἐν βραχυτάτοις ἀπέσταλχα. Τὰ γὰρ παρά τισι τῶν ποιητῶν χείμενα τούτων, μὴ αὐτοτελῶς λελεγμένα, κατανοήσεις ἐχ τῶνδε τὰ πλεῖστυ, αὐτῷ τε σοὶ παρέσται εἰς ἔπη χαὶ ἐλεγείας ἀνάγειν (?) *τὰ μάλιστα ἐξ αὐτῶν ἁρμόδια, μηδὲ διὰ τὸ μὴ παρεῖναι τὸ περιττὸν αὐτοῖς, ὃ δὴ σὺ μετέρχῃ, χεῖρον περὶ αὐτῶν ἐννοηθῇς. Ὁιονεὶ γὰρ ὑπομνηματίων τρόπον* (*ἡμῖν* add.?) *αὐτὰ συνελεξάμεθα, χαὶ σοὶ νυνὶ τὴν χρῆσιν ὁμοίαν, ὡς ἔοιχε, παρέξεται.*

Quod ad Tiberium attinet, nulli dubitationi obnoxium est, eum quoque Parthenium esse imitatum. Diserte enim testatur Suetonius Vit. Tib. c. 70: „Fecit (sc. Tiberius) et Graeca poemata imitatus Euphorionem et Rhianum et Parthenium, quibus poetis admodum delectatus, scripta omnium (l. eorum) et imagines publicis bibliothecis inter veteres et praecipuos autores dedicavit".— Quem illustrem imitatorem permultos lectores iis praebuisse, inde colligi potest, quod Suetonius addit: „et ob hoc plerique eru-

ditorum certatim ad eum multa de his ediderunt". Quod Tiberius eorum carmina tantopere in deliciis habuit, eo explicandum videtur quod ii ut germani Alexandrinae scholae alumni obscurarum fabularum enarratione delectabantur.[1]) Parthenius insuper eum allexisse videtur, quod argumenta amatoria imprimis tractavit.

Restat, ut pauca de Ovidio addamus. Sunt enim, qui putent hunc in componendis Metamorphoseon libris Parthenio quoque auctore usum esse. Quae sententia quamquam per se haud improbabilis esse videtur, cum uterque auctor praeter Scyllae fabulam etiam illam de Byblide et Cauno tractaverit, tamen certis argumentis evinci non potest. Enarratio enim, ut paulo post pluribus verbis exponam, in rebus maximi momenti discrepat. Hanc discrepantiam materiae variandae studio, illi ingeniosissimo [2]) poetae proprio, imputandam esse existimarem, si volus quem imitaretur Parthenius exstitisset, nunc haud cogimur credere, Ovidium ab eo ipso sua mutuari potuisse. Etenim ejusmodi carmina inter Graecos complures scripserunt, quibus Ovidius auctoribus usus osse potest. Huc referuntur Boei Ὀρνιθογονία, Antigoni Ἀλλοιώσεις, Nicandri Ἑτεροιούμενα, Callisthenis et Theodori Μεταμορφώσεις.[3]) Quibus autem ex fontibus Ovidius hauserit difficile est probatu et multum absum ab eo consilio, ut hanc questionem pertractare velim. Est enim immensae materiae nec necessaria proposito

[1]) Cf. Meineke Anal. Alex. p. 37, 181, 258.
[2]) Cf. Seneca: Quaest. Nat. III: 27, 13.
[3]) Cf. Teuffel, Röm. Lit.[3] § 249, 1, et Pauly Real-Encycl. V p. 1031.

nostro. Interim breviter commemorare, quid Rohde hac de re perprobabiliter statuerit, hoc loco non alienum esse videbitur. [1]) Is autem ostendit nonnullos Ovidii locos mirum quantum cum fragmentis Euphorionis carminum congruere atque fabulam Cycni (Metamm. II, 367 sqq.) ex Phanoclis Ἔρωσι sumptam esse. De imitatione Nicandrea idem monuit nil certi statui posse, cum Ovidius, ut ex Antonino Liberali constet, cum Nicandro in elegendis transformationum fabulis quidem congruat, sed nusquam plane in rebus secundariis.

Quae cum ita sint, patet, opinor, Guilelmum Petersen audacius quam verius pag. 37 suae dissertationis „Quaestiones Ovidianae" inscriptae contendisse, maxime verisimile esse Ovidium in Metamorphosibus componendis *totum argumentum* ex Parthenii Μεταμορφώσεσιν hausisse.

Nec minus idem errat, cum pag. 38 et 9 (cf. p. 18) dicit Parthenium atque Ovidium in tractatione fabularum de Byblide et Cauno et de Scylla et Niso prorsus congruere argumentaque plane eadem esse. Verbum prorsus nullum intellego. Nam in utraque fabula inter utrumque auctorem discrepat in re maximi momenti. In fabula de Byblide et Cauno dissentiunt de Byblidis exitu. Apud Ovidium (Metamm. IX, 440 sqq.) Byblis, dum fratrem vestigiis persequitur, post multas errationes postremo in Cariam venit; ibi cum assiduo moerore et fletu fatigata concidisset, nympharum Lelegeidum misericordia exspirantis lacrimae in fontem conversae narrantur. Parthenius contra narrat Byblidem se suspendisse de arbore illamque lacri-

[1]) Cf. Rohde: der Griechische Roman, p. 127 sq.

marum in fontem transformationem fabulae varietatem suae oppositam memorat: φασὶ δέ τινες καὶ ἀπὸ τῶν δακρύων κρήνην ῥυῆναι ἰδίᾳ τὴν καλουμένην Βυβλίδα.[1])

Nostra in fabula discrimen positum est in Scyllae sorte, cum urbs capta est. Ut enim Eustathius diserte testatur, Parthenius tradidit Minoem virginem e gubernaculo vinctam in mare dejecisse, apud Ovidium contra legimus Scyllam a Minoe destitutam eum invitum insequi velle et insilire in mare.

Sed omnium absurdissima est ejusdem auctoris sententia, quae pag. 8 occurrit: „Optime cum narratione Ovidiana congruunt, quae Ciri poemate, quod falso Vergilio tribuitur, nobis traduntur, nisi quod singula ibi copiosius tractantur. Praeterquam enim quod totum argumentum idem est, maxime congruunt hi loci: Ovid. Met. VIII, 8 seqq:

Cui (sc. Niso) splendidus ostro
Inter honoratos medio de vertice canos
Crinis inhaerebat, magni fiducia regni,

et auctor Ciris vs. 120 sqq.

Nam capite ab summo regis, mirabile dictu,
Candida caesaries, florebant tempora lauro,
Et roseus medio fulgebat vertice crinis:
Cuius quam servata diu natura fuisset
Tam patriam incolumen Nisi regnumque futurum
Concordes stabili firmarunt numine Parcae.

---

[1]) Cf. Περὶ ἐρωτικῶν παθημάτων 11 et praeterea Meineke: Anal. Alex. pag. 285 et Rohde: der Griechische Roman pag. 96.

Praeterea conferantur Ovid. Met. VIII, 151:

. . . et a tonso est hoc nomen adepta capillo,

et auctor Ciris vs. 488:

Esset ut in terris facti de nomine Ciris.

Longum est plura enumerare et jam haec nos docent non modo materiam fabulae eandem esse, sed singula quoque similiter esse narrata". θαῦμά μ' ἔχει. Si quid video ex locis laudatis tantum discimus utrumque auctorem hisce in rebus congruere Niso fuisse in vertice capillum purpureum, urbi ac regno fatalem, ut privari regno non posset, quamdiu illum crinem haberet et Scyllam post transformationem ἀπὸ τοῦ κείρειν h. e. a tondendo Cirin fuisse appellatam. Quomodo ex hisce jam effici possit *non modo materiam fabulae eandem esse sed singula quoque similiter esse narrata*, non intellego. Sed praeterea tota conclusio jacet. Si enim vir doctus ambo haec poemata accurate legisset ac comparasset, eum non fugisset utrumque auctorem in duabus magni ponderis rebus prorsus diversa tradere.

Praeterquam enim quod in Ciri ad Parthenii exemplar Scylla e navi alligata per mare trahitur, at contra in Ovidii narratione sua sponte in mare insilit, cum Minos eam navigio recipere nollet, auctor Ciris alia quoque in re ab Ovidio abhorret. Ex Ciris versibus 187, 414, 422, ut supra jam vidimus, luce clarius apparet Minoem promisisse se Scyllam matrimonio sibi juncturum esse, si capillus funestus sibi traderetur. Quam longe aliter Ovidius! Cum misera puella amore incensa nullam

viam invenit, qua sibi Minois amorem conciliet, ipsa consilium capit crinis purpurei, quo fata patria continentur, abscidendi. Quem cum reseratis portis ad Minoem pertulit, ille justissimus judex impium facinus aversatus munus porrectum renuit. Itaque pulchre decorum servat poeta, quo ubique Minoem justum esse ostendit.

Haec jam, ut opinor, satis docent inter utramque fabulae tractationem esse magnum discrimen. Attamen admirationem non habet hoc latuisse auctorem, qui in Hygini fabulis 198 et 242 tantum legerit Scyllam in piscem mutatam esse et Nisum se ipsum interfecisse, (cf. pag. 8).[1]) Sed haec hactenus. Etiamsi autem parum probabile sit Ovidium Parthenio auctore usum esse, hoc tamen ex iis, quae disputata sunt, colligi potest, poetas Latinos omne studium contulisse ad Parthenium legendum et Latine convertendum itaque eo verisimilius esse Cirin ad hujus poetae exemplar compositam esse.

---

[1]) Cf. Hyginus fab. 198: Nisus autem dum filiam persequitur in avem haliaëton id est aquilam marinam conversus est, Scylla filia in piscem, cirim quem vocant.

CAPUT IV.

Adnotationes Criticae.

Inter viros doctos, qui nostris temporibus plurimum attulere ad Ciris textum emendandum et constituendum, imprimis habendi sunt M. Haupt, O. Ribbeck, J. Maehly, Lud. Schwabe et postremus Aem. Baehrens. Qui quot corruptelas rara felicitate ingenii sustulerint, facile agnoscitur ex textu, quem nuperrime Aem. Baehrens in lucem edidit. Plerisque emendationibus ibi receptis lubentissime assentior easque, ut ita dicam, ambabus manibus amplector; nonnullis tamen in locis a Viro Clar. dissentire ausus sum, ubi meo judicio conjecturas recepit aut non necessarias aut nimis duras aut ejusmodi, ut criticorum aliorum inventis melius commutarentur. Quae accuratius perscrutanti mihi liceat simul pauca de me ipso proferre, quibus fortasse textus sanior vel saltem intellectu facilior reddatur.

Vs. 1—5:

Etsi me vario iactatum laudis amore
Irritaque expertum fallacis praemia vulgi
Cecropius suavis exspirans hortulus auras
Florentis viridi sophiae complectitur umbra
Tum mea qu(a)eret eo dignum sibi qu(a)erere carmen, etc.

(Vs. 2 Iritaq; R | falacis R || vs. 3 suaves L | exsp H: exp. *ceteri* | hotulus R ortulus *ceteri* | auras] herbas A, *corr.* a || vs. 4 Florentes viridis — umbras O, *corr. edd. ant.* | copl. R || vs. 5 Tum ea A R Tu mea L) [1]).

Vs. 1. Pro *vario*, quod omnes codices exhibent, Clar. Baehrens recepit Heinsii conjecturam *vano*, qua tamen opus non est. Poeta enim vult, se antea vario laudis amore, honorum cupidine jactatum esse.

Vs. 5. De hoc versu corruptissimo vide quae supra Cap. III p. 38 diximus.

Vs. 12—28:

Quod si mirificum genus omnes . . . . .
Mirificum sedi modo sit tibi velle libido,
Si me iam summa Sapientia pangeret arce,
Quattuor antiquis quae heredibus est data consors,
Unde hominum errores longe lateque per orbem
Despicere atque humilis possem contemnere curas:
Non ego te talem venerarer munere tali,
Non equidem (quamvis interdum ludere nobis
Et gracilem molli liceat pede claudere versum),
Sed magno intexens, si fas est dicere, peplo, etc.

---

[1]) Lectionum varietatem mutuatus sum ex Baehrensii editione; cf. „Poetae Latini minores", Vol II, pag. 126. De siglorum significatione vide ejusdem libri p. 23.

(Vs. 12 perferre valent genus omne ς || vs. 13 secli A L || vs. 14 mea H *m* 2 | summas H *m* 2 | patientia L R paciencia A | arces *edd. ant*: artes O arce *vulgo* || vs. 15 Quatuor O | *post* autiquis *vulgo* quae || vs. 17 Dispicere H | humiles A L | possem *vulgo*: possum H L possim A R | contempnere A H || vs. 19 versim H).

Versus 12, 13 variis conjecturis a criticis tentati sunt. Mihi, verum ut fatear, nulla omnium plane placet. Ribbeck tamen vero proximus mihi videtur, corrigens:

> Quod si mirificum saeclis proferre valerem
> Mirificum mundi genus omne (o bella libido!)

sed pro *genus* malim *decus*, quod olim recte Baehrens reposuit. »Nam cum mundi vocabulo totum, quod supra nos extenditur, coelum significetur, quomodo varia ejus genera statui possunt?" *O bella libido!* Ribbeck non superflue vertit: o reizende, appetitliche Phantasie! — Idem versus 14, 15 ita constituit ut eos supra laudavimus, quorum sic priorem vertit: »Wenn mir die Weisheit bereits auf den Gipfel ihrer Burg einen festen Stand gewährte". Sed hoc verbis illis non potuit dici. Procul dubio Frieseman et Jacobs veram lectionem restituerunt, scribentes: *Si mihi iam summas Sapientia panderet arces.* Versu sequenti Baehrens minus a Mss. recedit additamentum *quae* rejiciens et *edita* pro *est data* scribens.

Non est, quod vs. 17 *dispicere* pro *despicere* scribatur. Suo, quemadmodum dicitur, gladio haec Baehrensii sententia confici potest. Cf. ejus disputatio in Fleckeiseni annal. 1872 p. 833—849.

Versu 19 Maehly sine causa idonea *non equidem* in

non (nec?) ludens mutavit. Nempe *non equidem* idem est ac *non sane!* Sed vitium latet versu ultimo, ubi legendum est: *sed magnum texens — peplum;* suppleri potest ex superioribus *te venerarer.* Attamen sententia loci vitiosa manet; haec enim postulat: si summam sapientiam consecutus essem, specimen meae philosophiae tibi mitterem.

Vs. 31—34:

Horrida sanguineo pinguntur proelia cocco,
Additur aurata deiectus cuspide Typho,
Qui prius Ossaeis consternens aethera saxis
Emathio celsum duplicabat vertice Olympum.

(Vs. 31 corco H socco A R succo *edd. ant* || vs. 32 deiectus *vulgo* delectus O | thipho H: typhon A R || vs. 33 Ossaeis O || Aemathio L).

Sanguinea—Gorgo, quod Baehrens versu 31 scripsit, necessarium non est. Verbum *consternens* (vs. 33) intellegi non posse, quisque videt. Credo veram poetae manum me restituisse legendo *conscendens.* Etenim ut navis, turris conscenditur per gradus, ita h. l. aether per saxa. Confer praeterea vs. 50 *tenui conscendens aethera pinna* et Ovid. Met. 3, 298 sq. *Ergo maestissimus altum Aethera conscendit.*

Ad versum 34 Baehrens recte adnotat: „ratio logica et consuetudo poetica postulant, ut rescribatur: *qui prius-duplicarat.* Cf. vs. 252 et Cat. 64, 317.

Vs. 54—57.

Complures illam magni, Messalla, poetae
(Nam verum fateamur: amat Polyhymnia verum)

Longe alia perhibent mutatam membra figura
Scyllaeum monstra saxum infectata vocari.

(Vs. 54 Cum plures O, *corr. edd. ant.* | illa A H R illam et L || vs. 55 amant L || vs. 56 aliam — figuram A H R | prohibent R | mutata in A H R || vs. 57 monstra in saxum L monstra saxosum (in saxa a) A saxo monstra R | infectata A H R contenta L conversa a | vocari H L a, vocavi A R.)

Lenissima mutatione versu secundo inanis repetitio vocis *verum* evitari potest scribendo: *amat Polyhymnia curam.*

Versum ultimum corruptissimum quod paene sanavit laus debetur Hauptio, legenti: *Scyllaeum monstro saxum infestasse voraci*, sed vocabulum *monstro* vehementer mihi displicet. Mallem scriptum esset *rostro*, quod facile a scribis librariis in *monstro* corrumpi potuit, quia saepius *mostrum* pro *monstrum* scribebatur. Confusio literarum *r* et *m* eo explicari potest, quod vocabulum antecedens cadit in literam *m*.

Vs. 62—65.

Sed neque Maeoniae patiuntur credere chartae
Nec malus istorum dubiis erroribus auctor.
Namque alias alii vulgo finxere puellas,
Quae Colophoniaco Scyllae dicantur Homero.

(Vs. 62 carte A H || vs. 64 Nanq: L | fulgo H *m* 1 | fingere H || vs. 65 dicuntur A R.)

In versu 63 interpretando diu interpretes aestuaverunt. Maehly conjucturam Hertzbergii *vagus* pro *malus* legentis

approbans sub *auctore* Ulixem intellegi vult, vocabula *vagus dubiis erroribus* Graecis πολύτροπος ὃς μάλα πολλὰ πλάγχθη respondere judicat et *istorum* ad versus 58—61 spectare putat. Si Beahrensio credimus *malus auctor* est miser Ulixes et mendum potius in voce *istorum* latet, pro quo *ipsius* conjecit. Interpretatur ergo, ni fallor, versum hoc modo: nec dubiis erroribus malus auctor *istorum* (neutr. gen.) vel *ipsius* (i. e. Homeri). Porro versu sequenti *iamque* pro *namque* posuit.

Sed sive *iamque* sive *namque* lego, hos viros doctos secutus connexum versuum 63—91 intellegere non possum. Mihi optimum videtur *namque* retinere atque interpretari: nec malus auctor quem poetae isti (= istorum, cf. vs. 54) in fabulis conglutinandis (= dubiis erroribus) secuti sunt. Quisnam malus ille auctor fuerit, dici non potest. Poetam famam dicere, ut Hertzberg putat, parum probabile mihi videtur.

Vs. 77—82.

Seu vero, ut perhibent, forma cum vinceret omnis
Et cupidos quaestu passim popularet amantes,
Piscibus et canibusque malis vallata repentest
Horribilis circum vidit se sistere formas,
(Heu quotiens mirata novos expalluit artus!
Ipsa suos quotiens heu pertimuit latratus!)

(Vs. 77 prohibent R | vincerit H || vs. 78 pasūm H | procularet (rocu *per lineolam deletis*) H spoliaret L a || vs 79 canibus rapidis L rabidis *supra* malis a | fallata H *m.* 1 valata R || vs. 80 Horrib *in ras. m.* 1 R Horribiles L | se] e *ex corr.* H sibi L || vs. 81 Neu *et* expaluit H || vs. 82 pertimuisse L a.)

Versus 79, 80 Haupt et Ribbeck inverso ordine collocaverunt, sed versum 79 post 81 trajiciens, *ut* pro *et* legendum esse conjicio. At praeterea alterum mendum illo versu est. Nam *canibusque malis* parum poeticum est, si quid video. Fortasse melius legeretur *canibusque avidis*. Confer Sabini Ep. resp. I vs. 33: *Illum non avidis canibus Niseia virgo Fregit*, etc.

Pro *quaestu passim*, quod vs. 78 legitur, mihi in mentem venit *quaestum faciens*, sed commutatio ea non opus est. Nam *quaestu* i. e. *opificio suo* simpliciter est ablativus instrumenti et *passim* significat *temere*, *sine discrimine;* confer illud Tibullianum: *Glans aluit veteres et passim semper amarunt.*

Vs. 85—88.

Quam, mala multiplici iuvenum quod saepta caterva
Dixerat atque animo meretrix iactata ferarum,
Infamem tali merito rumore fuisse
Docta Palaephatia testatur voce papyrus.

(Vs. 85 mala] modo A, *corr* a; || vs. 87 merito rumore *Nic Loensis*: meritorum more O || vs. 68 Palaephatia *edd. ant*: palepaphie H palepaphiae R. | voce papyrus *vulgo*: voce pachinus O (pachinnu H *m* 2)).

Scaligeri emendationem *vixerat* retinens Baehrens versum 86 legit: *Vixerat utque modo meretrix iactata ferarum*, summo jure Hauptii conjecturam *vixit eratque* rejiciens. Non enim credo ullo exemplo confirmari posse temporum in *vixit* et *erat* mutationem. Nec tamen

pro *atque*, quod omnes codices exhibent, me judice abundans *utque* scripserim. Nullus est hic particulae illi locus. Latine quidem dicitur *vixit modo ferarum* aut *vixit ut ferae* sed *vixit ut modo ferarum* nemo Romanorum umquam dixit. Si quid video, vocabulum *atque*, quo *saepta* cum *iactata* conjungitur, offensioni non est, sed mendum in verbo *iactata* latet, quod mutare malim in *furiata*. Hoc enim solum rei convenire mihi videtur.

Pagina voce, ut Baehrens vs. 88 pro vulgata lectione *voce papyrus* emendat, non necessario postulatur. Nam etiam Catullus vocabulo *papyrus* eodem sensu utitur. Cf. carm. 35 : 1 sq.

Poetae tenero, meo sodali
Velim Caecilio, papyre, dicas
Veronam veniat, etc.

Vs. 89—91.

Quicquid et ut quisque est tali de clade locutus,
Omnia sunt; potius liceat notescere Cirin,
Atque unam ex multis Scyllam non esse puellis.

(Vs. 89 quisquis tali L | loquutur L || vs. 90 Omnia sunt A L omnia sim H Omne suam R | cirim H cyrim A R crein L.)

Merito Hauptii emendationem *Mnemosyne* pro *omnia sunt* legentis Baehrens non recepit. Non enim est, quod poeta hic Musam invocet. *Somnia sunt*, quod Heinsius jam divinarat, Baehrens recte reposuit. Versu sequenti *Siculis* post *multis* excidisse mihi videtur, quod vocabulum sequens absorpsit. Metri explendi causa

postea *non* insertum est. Opposita sic se habent: inclarescat Ciris, Scylla sit una de multis.

Vs. 92—94.

Quare quae cantus meditanti mittere certos
Magna mihi cupido tribuistis praemia, divae
Pierides, etc.

(Vs. 92 et quae L (*etiam* a et *ante* que add.) meditati L | cetos A, caecos R cocos (e *supra prior*. O *m*. 2) H laetos L || vs. 93 Magna mihi *edd. ant*: Magnam hii H Magnam hi A R Magna nimis L a — cupidis tribuisti L a | divae *vulgo*: diva O).

Pro *certos* (vs. 92), quod editiones antiquae praebent, malim *comptos*, ex quo vocabulo lectiones codicum facillime existere potuerunt hunc in modum: comptos, comtos, c̄otos, cocos (cf. Helmstadiensis c^e^ocos). Scribas librarios literam *m* per compendium scribere atque *t* et *c* saepissime confundere solere, nemo ignorat.

Versu sequenti *tribuistis* videtur mendosum; nam poetae meditanti carmina componere Musas praemia jam tribuisse, non verisimile est. Credo legendum esse *posuistis*.

Vs. 120—121.

Nam capite ab summo regis, mirabile dictu,
Candida caesarie florebant tempora lauro.

(Vs. 120 ab A H: a L R || vs. 121 c(a)esarie A H R:] caesaries L | frondebant R | lauro O).

Vocabulum *lauro* vitiosum esse Clar. Baehrens recte vidit, sed *ramo*, quod pro eo substitutum voluit, mihi parum placet. Desideratur adjectivum, quod cum caesarie conjungatur. Credo legendum esse *larga*.

Vs. 129—132.

Nec vero haec vobis custodia vana fuisset,
Nec fuerat, ni Scylla novo conrepta furore,
Scylla, patris miseri patriaeque inventa sepulchrum,
O nimium cupidis Minoa inhiasset ocellis.

(Vs. 130 ni H: in R nisi A L | correpta *Loensis*: concepta O || vs. 132 Minoa *Lachmannus ad Lucr.* p. 162 (Minoi *Schradero praeeunte*): si non O | inhyasset H).

Pro *vobis* (vs. 129), quod huic loco non convenit, Baehrens scripsit *crinis*, quae emendatio praeferenda est conjecturae Heinsii *urbis* legentis. „Neque enim", adnotat Baehrens ad hunc versum, „in eis, quae proxime antecedunt de urbis custodia, sed de capilli cura est sermo".

Non est quod versu sequenti verba *nec fuerat* corrupta vel interpolata putemus. Etenim subintellegendum est *antea.* Conferatur Sillig pag. 225, qui ex Verg. Aen. V, 372, Horat. Od. III, 27, 28 et Cat. 66, 77 ostendit scriptores non semel accuratiores temporum notationes omittere quibus nihil opus est; nam per parenthesin illa *nec fuerat* interponuntur. „Vult poeta noster dicere, inquit, vim hujus crinis salutiferam secundo quoque eventu comprobatam fuisse". Merito Maehly versu ultimo *heu* pro *o* restituit. Cf. Ciris vs. 161: *Heu nimium certo nimium torrentia nisu* et Aen XI, 841: *Heu nimium, virgo, nimium crudele luisti supplicium.*

Vs. 133—141.

Sed malus ille puer, quem nec sua flectere mater
Iratum potuit, quem nec pater atque avus idem
Juppiter, ille etiam Poenos domitare leones

Et validas docuit vires mansuescere tigris,
Ille etiam divos homines — sed dicere magnumst,
Idem tum tristis acuebat parvulus iras.
Iunonis magnae, cuius periuria divae
Olim se meminere, diu periura puella
Non nulli liceat violaverat inscia sedem.

(Vs. 135 eciam ille H || vs. 136 vires] victas L a | tygris R tygres L || vs. 138 tum tristis] cum superis L a | parulus H *m* 1 || vs. 140 peritura L | puella H *m* 2: puell(a)e O || vs. 141 Nulli (*om* non) L Non nulli A H R | lictam (*suprascr. m.* 1 relictam) L liceat A H R).

Summo jure Clar. Baehrens vs. 135 pro *dormitare*, quod Ribbeck scriptum vult, *domitare* reposuit. Etenim Amorem leones dormire docuisse, parum probabile est. Non hoc verbum tamen in mendo jacet, sed verbum *docuit* versu sequenti.

Nempe *Amor docuit leones domitare* perinde esset ac si diceres: *domitare leones docti sunt ab Amore;* quo sane nihil est magis ridiculum. *Doctus*, quod Baehrens scripsit, meliorem interpretationem admittit, sed notio docendi huic loco non convenit. Credo legendum esse *valuit* atque vocabulum antecedens *validas* corruptelae ansam dedisse. Nam dubito num poeta scripserit *validas vires*, quia hoc languidius dictum esset. Procul dubio Heyne poetae manum restituit scribens *rabidas*, quod saepius cum *validas* confunditur. Cf. Ciris vs. 164. Cum autem *rabidas* proximis literis *val* illuc relatis in *validas* abiisset, versus per *docuit* suppletus est. Mansuescendi verbum activa significatione saepius poni Baehrens pluribus illustravit.

Versu 137 Heinsius pro *homines* conjecit *omnes*, quae

verba sexcenties confunduntur. Minus tamen ab litterarum ductibus recedes, si scribes *dominos*.

Quatuor versus, qui sequuntur, vehementer viros eruditissimos exercuerunt. Nec mirum; nam adeo vitiosi sunt, ut forte numquam omnino sanentur. Vero proxima mihi videtur lectio Baehrensiana:

Idem tum tristis acuebat parvulus iras.
Iunonis magnae, cuius fera iurgia divae
Olim ipsae metuere, eheu peritura puella
Nulli non sanctam violaverat inscia sedem.

Sed si ita locum interpungimus, *irae*, ut Sillig recte jam monuit, sunt intellegendae ipsius Amoris et verba *Iunonis magnae* pendent a *violaverat inscia sedem.* Haec autem ut credam, adduci non possum. Plenam interpunctionem non post *iras* sed post *magnae* ponendam puto. Deinde verbum *acuit* hic intellegi non potest. Etenim non Amor acuit Junonem, sed Juno Amorem. Nempe ordo rerum hic est. Juno a Scylla laesa est. Ut scelus puellae ulcisceretur, insano amore eam ab Amore inflammandam curavit. Quare scribendum est *armabat.*

Quia porro non video, cur potissimum *divae* Junonis fera iurgia metuerent, scriptum mallem: *Cuius fera iurgia divae Olim di metuere*, ubi illud *di* ex conjectura Ribbeckiana profectum minus a librorum lectione recedit. Denique pro verbis illis *eheu peritura*, quae Baehrens ex codicis L lectione elicuit, scribendum puto *iram subitura.*

Legimus igitur:

Idem tum tristis armabat parvulus iras
Junonis magnae. Cuius fera iurgia divae

Olim di metuere, iram subitura puella
Nulli non sanctam violaverat inscia sedem.

Vs. 156—157.

Set si quis nocuisse tibi periuria credat,
Causa pia est: timuit fratri te ostendere Juno.

(Vs. 156 Set *Schwabe*, *Baehrens*: Et O | nocuisset ibi H nocuisset tibi R.)

Ad hos versus Clar. Baehrens adnotat: Haec est poetae sententia: Iuno dum puellam scelestam studet ulcisci, propterea non morbo letali (hoc enim valet illud *nocuisse*) eam affecit, ne perfidus Jupiter, cuius erat morbos depellere, Scyllae aegrotanti succurrens pulchritudine eius caperetur. Itaque aliter poenas exegit Juno, nempe per amorem illam pessumdans." Fateor me hanc »reconditam neque sat amplis verbis expressam poetae mentem" non intellexisse.

Maehly *alia* pro *pia* restituens meliorem hujus loci explicationem dat hisce verbis: wenn Jemand glaubt, der Meineid sei dein Verderben gewesen, so (irrt er sich) ist die Ursache eine andere, nämlich, u. s. w. Verum tamen postea Baehrens vidit *palamst* conjiciens.

Vs. 167—170.

Infelix virgo tota bacchatur in urbe,
Non storace Idaeo fragrantes tincta capillos,
Cognita non teneris pedibus Sicyonia servans,
Non niveo retinens bacata monilia collo.

(Vs. 168 tincta *Schrader*: picta O || vs. 169 Sicyonia *Leopardus*: Sicoĩa H sic oĩa A sic om̃ia L R | Servas R || vs. 170 retines L R | baccata A H baechata L R).

Pro *cognita* (vs. 169) Baehrens optime *coccina* scripsit. *Servans*, quamquam per se potest intellegi, mutare malim in *gestans*.

Vs. 223—224.

Corripit extemplo fessam languore puellam
Et simul „o nobis sacrum caput" inquit „alumnae, etc.

(Vs. 223 langore H *m* 1 L || vs. 224 simul o L a; famulo A H R).

Schraderi conjecturam *carum* pro *sacrum* legentis in textum receperim. Recte enim Schrader dubitat, num „alumna sacrum nutrici caput dici queat". Est haec praeterea perpetua mutatio, ut idem pluribus illustravit Emend. p. 58.

Vs. 247—249.

Omnia me potius digna atque indigna, laborum
Milia visuram quam te tam tristibus istis
Sordibus et carie patiar tabescere tali.

(Vs. 247 atque] tuq: L | laturam L a || vs. 248 nisuram H || vs. 249 carie *Baehrens praeeunte Barthio*: scoria A, seonia H saria L morbo R).

Maehly offensus vocabulo *milia* (vs. 248), quod non conjunctum sit cum *multa*, *quanta* aut numerali, optime conjecit *ultima*.

Vs. 324—326.

Sin est quod metuo, per te, mea alumna, tuumque
Expertum multis miserae mihi rebus amorem,
Perdere saeva precor per lumina et Ilithyiae,
Ne etc.

(Vs. 324 per te, mea Gronov.: per me mea L a, per me tua H, per me tu A, permetuo per me tu R | alumpna A H || vs. 326 Per te sacra *edd. ant.* | Scaeva R | lumina scaliger: flumina A H R, flumina sacra L a).

Recte Baehrens *perdere* (vs. 326) servavit, quod alioqui *saeva* sensu idoneo caret. Infinitivus stabilitur per Horat. Epist. I, 15, 30: *Quaelibet in quemvis opprobria fingere saevus.* Pro *et*, quod Silligio debetur, propter locum quem occupat cum Hauptio *que* legere malim. Auctorem hic Dianam dicere, Scaliger jam vidit, merito Aristoph. Lysistr. 443 comparans, ubi Scholiastes ad *νὴ τὴν Φωσφόρον* adnotat: *τὴν Ἄρτεμιν οὕτως ἐκάλουν, ἐπεὶ δᾳδοῦχος.* Praeterea hoc satis apparet ex vs. 295 sqq.

Vs. 333—337.

Quod si non alia poteris ratione parentem
Flectere (sed poteris: quid enim non unica possis?)
Tum potius tandem ista, pio cum iure licebit,
Cum facti causam tempusque doloris habebis
Tum potius conata tua atque incepta referto.

(Vs. 334 non A R: nisi H L || vs. 335 Tum *Haupt*: Tu A R Tunc H L | tandem ista *Baehrens* ipā tm̄ (= tandem) H tamen ipsa A L R | iura H *m* 1 || vs. 336 tempus causamq; A || vs. 337 Tum *Haupt*: Tunc O | incepta *vulgo*: incerta O.)

Pro *alia* Schraderi conjectura *ulla* legentis magis mihi arridet, fortasse quia et mihi in mentem venit. Versu proximo ratio logica postulat *possit.* In sequentibus recte Maehly offendit ad versum 336, quia *tempusque doloris* hic omnem explicandi rationem respuit. Proponit: *cum iusque doloris.* Quod ad sensum attinet, recte; sed durissimum. Multo suavius mihi videtur *iustique doloris.*

Vs. 340—344.

His ubi sollicitos animi relevaverat aestus
Vocibus et blanda pectus spe luserat aegrum,
Paulatim tremebunda genis obducere vestem
Virginis et placidam tenebris captare quietem
Inverso bibulum restinguens lumen olivo
Incipit etc.

(Vs. 341 spe *om* H | luserat *edd. ant*: iusserat A R, viserat H a, clauserat L || vs. 342 gemis H || 344 restinguens *vulgo*: restringens O (restrigens L).

Heyne in Comment. ad versum 343 haec habet: „Hoc facit puella ut captet quietem, capiat somnum; at nunc anus puellam ori obducta veste ad somnum componit". Recte, procul dubio. Etsi igitur *aptare* hic latere Heyne suspicatur, mox tamen *captare* probat atque explicat: „arcessere, parare, per tenebras, quas obducit, extincta lucerna, *olivo inverso*, ut obruatur oleo affuso ellychnium". Sed *captare* ita alibi non dicitur. Wakefield pro *tenebris captare* proposuit *membris coeptare*, sed haec conjectura nihil habet, quo se commendet. Mihi scribendum videtur *et placidam tenebris lactare quietem.*

Vs. 374—377.

Inde magno geminat Iovi frigidula sacra,
Sacra nec Aeaeis anubus nec cognita Grais,
Pergit, Amyclaeo spargens altaria thallo,
Regis Iolciacis animum defigere votis.

(Vs. 374 Inde] Hinc L | magno generata iovi L | frigidula A H R *om.* L *lac. rel.* || vs. 375 Aeaeis *Heinsius*: ideis O Idaeis *vulgo* | anabus (u *in* i *corr*) H: avibus L senibus A R | graiis L || vs. 376 Perdit A R | amycleo (amicl. a) spargens L a: amicleos

pergens A R emicleos (e *prior. m.* 2 *in* a *corr.*, s *del. m.* 2) pergens H | tallo (*prior.* l *deleta*) H talo A R || vs 377 iolchiacis (-chis L) O | defigere L a: defugere A H R).

In versu primo omnia dura et ἄμετρα sunt. Recte Maehly monuit omnem hujus loci sanandi conatum frustra esse, nisi pro *geminat* vel *generata* verbum deponens substituatur. Hoc enim verbum finitum *pergit* postulat. Quare Scaligeri emendationem *venerata* — *Stygialia* servans Maehly scriptum vult:

Inde *agno* venerata *Jovis* Stygialia sacra, etc.

Vs. 378—383.

Verum ubi nulla movet stabilem fallacia Nisum
Nec possunt homines nec possunt flectere divi
Tanta est in parvo fiducia crine cavendi,
Rursus ad inceptum sociam se adiungit alumnae
Purpureum que parat rursus tondere capillum,
Tam longo quod iam cupiat succurrere amori, etc.

(Vs. 378 stabulis L || vs. 380 Tanto H | pavo H *m* 1 | movendi cavēdi H || vs. 381 rurus A | incoeptum R | iungit A R | alumpne A || vs. 383 Tam *Heynius*: Cum O | longo L a: longe A H R (valde *suprascr. m.* 2 H) | cupiat *Baehrens*: captat O).

Jure, opinor, Heyne versu 380 *fiducia cavendi* „paulo insolentius dictum" putat nec est, quod cum Baehrensio ejus conjecturam *fiducia crine; paventi* legentis spernas. Pro *rursus* quod vs. 382 otiose repetitur Herzbergii *nutrix* legentis emendatio substituenda est. Etenim subjecti significatio aegre desideratur. Summo jure Baehrens versu sequenti offensus est verbo *longo*, quod explicationem idoneam non admittit. Usus adnotatione

codicis H, ubi manu altera *valde* adscriptum est, olim *valido* conjecit. Sed neque hoc neque quod alii proposuerunt mihi placet. Veram scripturam me elicuisse credo *lento* restituentem, qua voce noster eodem sensu usus esse mihi videtur, quo Ovidius Met. XIV, 761 sq: *Quorum memor, o mea, lentos Pone, precor, fastus*, etc.

Haec mea sententia confirmatur, ut opinor, eodem illo *valde*, quod ex *valido* ortum, ut Baehrens recte vidit, glossema vocis *lento* puto.

Vs. 418—420.

Non equidem me alio possum contendere dignam
Supplicio, quod sic patriam carosque penates
Hostibus immitique addixi ignara tyranno.

(Vs. 418 cotendere H || vs. 420 addixi L a: adixi H aduxi R adduxi A.)

Vocabulum *ignara* (vs. 420) mendosum esse certissimum est. Scylla enim plane suae injuriae sibi conscia erat. Mihi in mentem venit *insana*, sed verum Maehlium *gnara* legentem restituisse vidi.

Vs. 438.

Non mihi iam pingui sudabunt tempora myrrha.

Non esse videtur, quod cum Baehrensio *stillabunt* pro vulgata lectione *sudabunt* praeferas.

Vs. 484—486.

Sed tamen aeternam squamis vestire puellam
Infidosque inter teneram committere pisces
Non statuit, etc.

(Vs. 484 eternam B: externam A H R et rigidis L) squammis R || vs. 485 teneraͣ *m.* 2 *ex* teneras *corr* B | comittere B *m.* 1, R connetere H).

Vocabulum *aeternam*, quod ex lectione *eternam* codicis Bruxellensis profluxit, non sine offensione est, quod sensu idoneo caret. Diversae emendationes propositae sunt, quarum, verum ut fatear, nullam probare possum. Credo in hac voce adverbium latere atque legendum esse *aeternum*.

Finem adnotandi facio observatione ad versum sequentem, in quo neminem haesisse video. Habet tamen, quod offendat. Cur enim pisces *infidi* nominentur, non intellego. Lenissima mutatione *invisos* scribendum esse puto. De perpetua commutatione literarum *f* et *v* conferatur Drakenborch ad Liv. XXI. 2. 4, qui hunc errorem ex barbara pronuntiatione verba praeeuntis nasci solere recte judicat.

THESES.

I.

Ciris ad exemplar Parthenii carminis composita est.

II.

Fontium significatio ad Parthenii »Narrationes Amatorias" in margine codicis Palatini adscripta ex mythologi ignoti doctrina profluxit.

III.

Caes. Bell. Gall. I, 8:

Helvetii ea spe deiecti navibus iunctis ratibusque compluribus factis, alii vadis Rhodani, qua minima altitudo fluminis erat, nonnumquam interdiu, saepius noctu, si perrumpere possent, conati operis munitione

et militum concursu et telis repulsi hoc conatu destiterunt.

Ante *navibus* inserendum est *alii.*

IV.

Liv. XXII, 6, 3:

Iam ego hanc victimam Manibus peremptorum foede civium dabo.

Pro *hanc* lege *hunc.*

V.

Tac. Hist. I, 56:

Et minore discrimine sumi principem quam quaeri.

Pro *quaeri* scribendum est *impugnari.*

VI.

Tac. Hist. I, 76:

Nusquam fides aut amor: metu ac necessitate huc illuc mutabantur.

Lege *nutabant.*

VII.

Herod. I, 51:

Φασὶ δέ μιν Δελφοὶ Θεοδώρου τοῦ Σαμίου ἔργον εἶναι, καὶ ἐγὼ δοκέω· οὐ γὰρ τὸ συντυχὸν φαίνεταί μοι ἔργον εἶναι.

Pro *τὸ συντυχόν* scribendum est *τοῦ συντυχόντος.*

VIII.

Herod. I, 73:

Χρόνου δὲ γενομένου καὶ αἰεὶ φοιτεόντων τῶν Σκυθέων ἐπ ἄγρην καὶ αἰεί τι φερόντων, καί κοτε συνήνεικε ἑλεῖν σφεας μηδέν.

Lege: *Χρόνου δὲ ἐγγενομένου κ. τ. λ.*

IX.

Thuc. II, 87, 3:

νομίζαι δὲ (sc. *δίκαιόν ἐστι*) *ταῖς μὲν τύχαις ἐνδέχεσθαι σφάλλεσθαι τοὺς ἀνθρώπους, ταῖς δὲ γνώμαις τοὺς αὐτοὺς ἀεὶ* (*ἀνδρείους*) *ὀρθοὺς εἶναι, καὶ μὴ ἀπειρίαν τοῦ ἀνδρείου παρόντος προβαλλομένους εἰκότως ἂν ἔν τινι κακοὺς γενέσθαι.*

Pro *ἂν ἔν τινι* scribe *ἐναντίους*.

X.

Soph. Phil. vs. 847 sq.:

ὡς πάντων ἐν νόσῳ εὐδρακὴς
ὕπνος ἄϋπνος λεύσσειν.

Legendum est:

ὡς πᾶν τῶν ἐν νόσῳ εὐδρακὴς
ὕπνος ἄϋπνος λεύσσει.

XI.

Eur. Hipp. 661 sqq.:

θεάσομαι δὲ σὸν πατρὸς μολὼν ποδὶ
πῶς νιν προσόψει καὶ σὺ καὶ δέσποινα σή·
τῆς σῆς δὲ τόλμης εἴσομαι γεγευμένος.

Pro εἴσομαι malim πεύσομαι.

XII.

Eur. Hipp. 715 sq.:

χαλῶς ἔλεξας. ἓν δὲ προτρέπουσ' ἐγὼ
εὕρημα δή τι τῆσδε συμφορᾶς ἔχω.

Lege:

χαλῶς ἔλεξας. πρὸς δὲ πᾶν ἕρπουσ' ἐγώ.

XIII.

Eur. Hipp. 1289:

φανερὰν δ' ἔσχές ἄτην.

Scribendum est;

φανερὰ δ' ἔσχεν σ' ἄτη.

XIV.

Eur. Alc. 911 sq.:

ὦ σχῆμα δόμων, πῶς εἰσέλθω;
πῶς δ' οἰκήσω μεταπίπτοντος
δαίμονος;

Pro μεταπίπτοντος scribendum puto μεταπεπτῶτος.

XV.

Diog. Laert. IX, 8:

περὶ μὲν θεῶν οὐκ ἔχω εἰδέναι οὔθ' ὡς εἰσὶν, οὔθ' ὡς οὐκ εἰσίν.

Pro *εἰδέναι* legendum est *εἰπεῖν*.

XVI.

Tribuni plebis ante annum 471 comitiis centuriatis creati sunt.

XVII.

Aediles plebeii non fuerunt sacrosancti.

XVIII.

Ephori post aetatem Lycurgi instituti sunt.

XIX.

Archontum aliorumque magistratuum sortitio Athenis a Clisthene instituta est.

XX.

Sine causa idonea putat Grote Thucydidem odio permotum inique de Cleone judicasse.

XXI.

Pax Cimonis quae dicitur numquam facta est.

XXII.

Socrates methodum ratiocinandi inductivam invenit.

INDEX.